

CODICIS IVSTINIANEI
ILLVSTRATIONES

A
TRIGA ERVDITORVM PROFECTAE,

OB
EXIMIAM EARVM VTILITATEM DENO RECVSAE

QVIBVS PRAEMISSA EST,
DN. H. CHR. LIB. BAR. DE SENCKENBERG,

AVG. ROM. IMPERAT. IN CONS. IMP. AVL. CONSILIARII,

DISQVISITIO
DE VSV TRIVM VLTIMORVM LIBRORVM CODICIS
PRAECIPVE IN GERMANIA.

CVRANTE
EVSEBIO BEGERO, I. V. L.
ET S. R. I. LIBERAE REIPVBL. VLMENS. CONSILIARIO.



FRANCOFVRTI & LIPSIAE,
PROSTAT APVD AVG. LEBR. STETTIN. BIBLIOPOL. VLM.

CIO DCCLXVII.

D. IACOBI GOTHOFREDI,
 IC. et Antecessoris in Academia Geneuensi,

DIATRIBA

DE

ARMORVM IVRE ET GESTATIONE

INTER PRIVATOS,

Bom Waffenecht.

ad L. un. C. ut Armor. vsus etc. Lib. XI. et textus similes.

Respondente

MARTINO WIL'LER, Sil.

. Geneuae Anno 1628.

PROLEGOMENA.

Quod Mamertinis, Messinae incolis, Pompeius olim respondit, cum intemptiuo priuilegiorum suorum obtentu iurisdictionem et tribunal eius declinarent, frustra gladiis accinctis leges praedicari, (Plutarch. *in Pompeio cap. 3.*) illud et mihi forsā a nonnemine exprobratum iri metuendum est, qui de *Armorum vsu* differere instituerim eo temporis articulo, quo non solum fabricandi arma licentiam lucellum, gestandique temeritatem lubido cuique sua permittit; sed ipsae insuper euaginatorum ensium stricturae, bombardarum sonitus, tormentorum campestrium tonitrua, oculos, aures, animum, feriunt, occupant, percellunt; vt quis forsā illud Caii Marii, se propter strepitum armorum leges

audire non posse, (Plutarch. *in Mario cap. 10.*) pronunciare queat.

Nec ea forsân me subleuabit excusatio, quod armorum et legum coniunctio sit arctissima, Reique publicae maxime proficua, et horum infinitae bonorum autorum sententiae. (Tacit. *lib. 5. Annal. cap. 67. pr. et lib. 3. Histor. cap. 58. pr. Liu. lib. 5. cap. 27. Recess. Imper. Anni 1500. pr. ibi: Wann aber. Et anni 1522. pr. ibi: Dieweil aber.*) Omnia quippe suo tempore esse proponenda regeretur, rebus videlicet integris, non vbi immutatus armorum assuetudine animus, incinctumque galeae duritie caput, legum dictamen vel non audit, vel admittere fastidit.

Neque tamen haec a sententia me dimouebunt. Scilicet recti conscientiam vel tum maxime, vbi omnes in transuersum rapiuntur, habere expedit, si quando comparata ad iuris rectitudinem prauitas, enormitate sua hominibus incipiat fieri detestabilis, iique pertaesi licentiosae, per omnia sacra humanaque contempta, vitae, excessus ad regulam iuris componant: Et praeterea suum quoddam *Armorum Ius* est, cuius nos studiosos esse vel in medijs armorum fragoribus conuenit. Neque de exercitu, aut castris, vel agminibus, signorum collationibus, oppidorum oppugnationibus, com meatu, infidiis faciendis atque vitandis, de reliquis, quae propria sunt belli administrandi Cic. 2. *de Orator.* (Quo sensu, fallor, an Vegetius *lib. 1. cap. 1. de re milit. ius armorum* dixit?) acturi sumus: Sed de armorum tantum materialiter sumptorum, etiam media pace, *fabricatione, commercio, gestatione aut usu*, quatenus ea siue legibus, siue moribus passim prodita sunt. Quod meum institutum a cordatis non improbatum iri confido, cum ea etiam in parte boni cuius officium ignorasse sit indecorum, arg. *l. necessarium*

2. §. *Seruius 43. D. de orig. iur.*



PROTHEORIA
DE ARMIS IN GENERE, ET EORVM
FINE AC VSV.

I. **F**acturi ergo competens tractationis nostrae initium, quaedam de armis in genere praemittemus, vt clarior et expeditior fiat ipsius armorum iuris expositio, *arg. d. l. 2. pr. D. de orig. iur.* CORAS. *de art. iur. cap. 2. CAGNOL. ad rub. D. de reg. iur. in pr.*

Etymologia.

Et primo quidem *Etymologia* vocis, Stoicorum, a quibus ICti nostri imbuti, exemplo, inuestiganda est, quae, etsi in multis obscura, superque eadem voce aliis alia visa; tantum tamen abest, vt tollenda, vt potius tam maxime sit inquirenda, quam maxime latet. Sunt autem, qui a subiecto, hoc est, ἀπὸ τῶν ἰσμιῶν, *armis* seu humeris vocem hanc deducant, quod vel ab illis dependeant, vt gladius, pugio; vel eosdem tegant, vt scutum, lorica, thorax: vel ab iisdem regantur, agitentur, moueantur. Sunt item, qui a fine seu effectu, nimirum ab *arcendo* deriuent, vt Varro, quod vim et iniuriam arceant, vnde forte germanicum, *Wehr, oder, Gewehr*. Sunt denique, qui a forma interpretentur, id est, παρὰ τὸ ἀγυόζειν; quod est, *consentire, conuenire*; quod ita apposite quadrare ac conuenire corporibus arma necesse sit, vt nec vastitate sua oneri sint aut impedimento, nec angustia vel arctitudine sua nocumento. E quo triplici etymo medium longius a sono vocis abit, tertii vero ratio nimum quantum generalis est, cum ad omnia, quae ab artificibus rite composita exspectamus, pertineant: Primum acu rem tange-

re videtur, cum, praeter dicta, sine armorum seu hamerorum adminiculo nullus sit armorum usus. Goedd. *ad l. armorum 41. D. de verb. signif.*

Homonymia.

II. Sumitur autem vox *armorum* etiam translate, pro omnibus, quibus quisque in statione sua ceu munimento inuoluitur, et praesidio certissimo utitur: sic Theologis arma sunt precatio et scientia. ERASM. *in enchirid. seu tract. de milit. christ.* vel iuxta Paulinam panopliam, veritas, iustitia, confessio, fides, etc. *Ephes. 6. vers. 13. et seqq.* Item pectus et lacrymae, arma Ecclesiae *c. conuenior 21. caus. 23. quaest. 8* dicitur. Sic et instrumenta rustica, agricoliarum arma dixit VIRGIL. *Georg. vers. 60.*

Dicendum et quae sint duris agrestibus arma.

Nautarum, idem 5. *Aeneid.*

Colligere arma iubet, validisque incumbere remis.

Sic studiosorum arma libri sunt. Vide GOEDD. *ad d. l. 41. de V. S. n. 6.* ut omittam, arma quoque animalibus a Poëtis ferme tribui, et milites ipsos armis cinctos quandoque eo nomine indicari. Sic enim apud SE-NECAM *conf. ad Polyb. cap. 31.* Melius beneficii Imperium, quam armis, custoditur. Et TACIT. *4. Histor. 73.* Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis habentur. Insuper hac voce et ipsum bellum designari notum est, qua ratione totum suum de belligeratione Romanorum tractatum Alber. Gentilis *de armis Romanis* inscripsit. Tandem insignia gentilitia hoc nomine censentur, siue quia olim virtuti, praesertim militari, imaginum iura tributa, CIC. *7. Verrin.* (ut nostro tempore dicta insignia gentilitia WESENB. *parat. D. de iur. aureor. annulor. num. 4.*) siue quia armis honos iste quaesitus esset; siue quia fractas secures, galeas, bipennes, aliaque militiae decore gestae monumenta imago contineret: denique quod insignia in ipso clypeo essent depicta, vnde insignia nobilium dicuntur *Waffen mit offnem Schild und Helm*: Qua de re extat singularis BARTOLI tractatus *de armis et insignibus* (quem hac occasione eum elaborasse tradunt, quod ei Carolus IV. Imp. ius clypeiet insignia nobilitatis contulisset. Vide PALAEOTT. *de spuris cap. 59.*) et apud CHASSANAEVUM *in catalogo glor. mundi nonnullae Considerationes.* Adde NOLDEN. *de stat. nobil. cap. 15. §. 1. ib. 135, et seqq.*

Acceptio propria.

III. Metaphoricis istis locutionibus, quae ad rem nostram non faciunt, posthabitis, *armorum* appellationem hac in disquisitione legali, politica, *statutaria*, legaliter etiam et politice accipimus, ita quidem, ut duplicia ea faciamus. Scilicet *Arma* quandoque aestimantur et denominantur strictius ex fine facientis et comparantis, ita, ut illa proprie arma intelligantur, quae principaliter secundum naturalem usum ad offendendum et defendendum sunt ordinata, ut gladius, lancea, bombardada, balista. HYPPOLIT. de MARSIL. in *pract. crimin. §. pro complemento num. 13.* Quandoque latius, a fine, non tam facientis et comparantis, quam iisdem quoquo modo utentis, ita, ut *armorum* appellatione veniant, omnia illa, quae quolibet modo ad defendendum offendendumue apta sunt, ut praeter memorata, lapides, fustes, glebae, de quibus est illud, *furor arma ministrat.* Hoc significatu arma accipiuntur in legibus et statutis, quando de percussione agitur *l. armatos 9. D. ad l. Iul. de vi publ.* ubi Ictus *armatos* non utique, (id est, non semper, non tantum, non simpliciter, loquendi formula Ictis peculiari *l. utique 16. D. de rei vendic. l. ob id 43. D. ad l. Aquil. l. cum mandato 21. ff. mandat. l. si pater 41. ubi Duaren. ff. solut. matrim.)* eos accipiendos esse monet, qui tela habuerunt, sed etiam, qui quid aliud, quod nocere potest, *l. quod est 3. §. armis 2. ff. de vi et vi arm.* FARIN. *quaest. crim. 108. n. 1.* Et talia instrumenta non dicuntur arma, nisi post percussione factam. Gl. in *Clemen. 1. de stat. Monach.* AMED. *tract. de Syndic. n. 88.* Sic baculus, ligo, et similia instrumenta proprie non parantur ut arma, talia tamen iudicantur secundum qualitatem percussione. BOSS. *tit. de homicid. num. 37. et seqq.* Priore autem significatu *arma* proprie appellantur, cum de portatione, fabricatione, aut exportatione tractatur. ALEX. CARER. *pract. crimin. vers. itemque eorum, num. 18.* Ita BARTOL. in *l. 1. num. 2. ff. de vi publ.* Si banno seu *statuto* prohibeamur deferri arma, non venit gladius ad incidendum panem aut ad temperandum calamum: Sed si de percussione et vulnere agatur, venit. MARSIL. in *pract. crimin. d. §. pro complemento num. 18.* Memorata vero, gladius, lancea, balista, semper sub simplici *armorum* appellatione continentur, et ante, et post percussione factam. DECIAN. *lib. 8 tract. crimin. cap. 2. num. 8. et 9.* Nec ablu dit ab hisce elegans doctrina Angeli *conf. 397. incip. quidam puer, num. 2.* ubi scribit: Arma sumi vel proprie, ut in *Auth. de Armis*: vel latius, et vel pro instrumentis, quae magis euidenter sunt ad nocendum apta, quia hominis industria possit cum illis inducere nocumentum: vel quae
minus

minus euidenter parata sunt ad nocendum, vt candelabra et alia instrumenta ad vsum alium parata, quae tamen incidenter possint inducere nocumentum, sed haec non venire appellatione instrumentorum euidenter ad nocendum aptorum.

Synonyma.

IV. Caeterum arma aliis etiam nominibus gaudent, vt *telorum* et *ornamentorum*. Tela proprie vocantur ea, quae ab arcu mittuntur, §. *item lex Cornelia 5. Inst. de publ. iudic. l. si caluistur 233. §. telum 2. de V. S.* eoque sensu armis opponuntur, apud *Liuium lib. 22. cap. 57.* Arma, tela, alia parari iubet, aliisque locis. Sed tamen haec distinctio non est perpetua: *Telorum* quippe appellatio promiscue omnibus armis adaptatur, (et ita *lex armatos' 9 ff. ad leg. Iul. de vi publ.* concilianda est cum *l. qui aedes 11. §. telorum 1. ff. eod.* in quarum prioribus tela opponuntur aliis instrumentis, quibus quis nocere potest: posteriore etiam haec sub telorum appellatione comprehenduntur) ut illa veniant, spicula, fundae, lapides, fustes, arcus, saxa, sagittae. *d. §. item lex Cornelia 5. Inst. de publ. iud. d. l. 233.* iunge §. *recuperandae 6. Inst. de interd. l. cum aliter 1. §. occisorum 17. ff. ad SC. Silianum. l. quod est 3. §. deiectum 2. ff. de vi et vi arm. l. armorum 41. ff. de V. S. Paul. 5. sent. 3. §. 3.*

V. *Ornamentorum* etiam nomen nonnunquam armis, gladiatorum nominatim, tribuitur: vt apud *SEN. praefat. lib. 4. Natural. quae st.* Sic ergo formare, vt scias, te non posse consequi, vt sis impenetrabilis: cum omnia caueris, per *ornamenta* feriet. Quem locum explicans *LIPSIUS 2. Saturnal. 17.* inquit: id est, per ipsa arma. Idem *SENEC. epist. 14.* Ars ei constat, qui per *ornamenta* percussus est. Suetonius audentius ipsos gladios appellat ornamenta, in *TITO cap. 9.* ibi: insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis (subaudi, *duobus patrii generis, qui de affectato imperio conuicti orant*) oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Vbi *AVRELIVS VICTOR* in eadem re: *isque gladios tradidit.* Eodem modo et *ornare* legitur pro *armare*. *TACIT. 5. Histor. 22.* Romani vulneribus exciti quaerunt arma, ruunt per vias, pauci ornati militariter, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. *LIV. lib. 29. cap. 1.* Diem iis, qua equis armisque instructi ornatique essent, edicit. *SALVST. in Catilin. cap. 35. in fin.* Catilina viciniam antea sollicitam armis exornat. v. *Lipi. ad Tacit.*

cit. lib. 3. Histor. not. 73. CICERO *pro Caecin.* Armatos, si latine loqui velimus, quos appellare vere possumus? Opinor eos, qui scutis relique parati ornatique sunt.

Definitio rei.

VI. Ex superioribus iam omnibus patet, arma in hoc tractatu nobis esse instrumenta natura vel arte facta, ad vim inferendam vel auerendam: Aut breuius, ex ipsius Iustiniani *Nou. de armis 85. cap. 4. in fin.* instrumenta ad hoc ordinata, vt iis in praeliis vtamur.

Diuisiones.

VII. *Genera* autem et discrimina horum armorum plura sunt, quae ita fere dispescuntur: quod alia sint principalia, alia minus principalia, et quae principalibus accedunt. Illa vel simplicia, vel mixta: Simplicia, vel ad defensionem magis pertinent, vel ad offensionem. Illius generis sunt scuta, cassides, galeae, thoraces, loricae, seu zabae. *d. Nou. 85. et ibi CVIAC.* Huius generis alia sunt portatilia siue minora, alia vestilia siue maiora. Portatilia vel humeris imposita geruntur veluti bombardae, seu arcus-bustus, (v. Polydor. Virgil. *lib. 2. de inuentor. rer. cap. 11. in fin.*) hasta simplex, hasta bipennis et oblonga, romphaea, arcus, sagittae, sitinni, et alia missilium genera. *CVIAC. ibid.* vel sub humeris femori accinguntur, & a cingulo dependent, quae *παρὰ μνησίδι* vocant, *CVIAC. d. loc.* vt spatha et semispatha, seu gladius et pugio, sclopetum item minora. Vestilia seu maiora, vel sunt exoleta, de quibus *VEGET. lib. 4. de re milit.* et autor vetus subditus *Notitiae Imperii*, vel adhuc vsitata, vt machinae et balistae fulminales, quarum varia genera vide apud *FRONSPERG. part. 1. lib. 4. fol. 59. col. 1. de re milit. et part. 2. lib. 1. fol. 2. cum multis seqq. DILLICH. part. 2. de re milit. SPECKLE lib. 3. Architect. cap. 5. pag. 102.* Mixta porro sunt, quae tam defensionem quam offensionem inferunt, vt gladii, hastae. Principalibus autem accedunt, puluis nitratus, lapides eiicatorii, glandes, globuli. *Kraut und Lotb.* Et haec quidem plus satis ad institutum nostrum: Neque enim de armorum inuentoribus aut origine, vel etiam materia aut forma agendi hic locus est.

Fines et vsus.

VIII. De *fine* et *vsu* tamen armorum, vt pauca praemittamus, operae pretium est. Primigenium et praecipuum, qui in iniuria publi-

ce priuatimque propulsanda confilit, innuit Imp. in *d. Nou. 85. cap. 4. in fin.* vbi ea vere arma esse dicit, quae ideo facta sunt, vt iis in praelio vtamur, iniuriæ nimirum propulsandæ causa: Omnes enim vrbanae res, omnia præclara doctorum studia, et forensis laus et industria, omnia, quae sunt in imperio & in statu ciuitatis, latent sub tutela et præsidio armorum; iura quoque, iudicia, leges, religio, omniumque rerum publ. opes et potentiae sub armorum vmbra secure quiescunt, CIC. *pro Muraen. cap. 10* Nec diuitiarum secuta esset possessio, nisi armorum defensione seruetur. VEGET. *lib. 3. de re milit. cap. 4.* Haec sunt, quae mortem generant et salutem, interitus sunt peccantium, custodia bonorum, contra improbos necessarium semper auxilium; haec in bello necessaria, in pace decora; haec imbecilles fragilesque mortales cunctis bellis efficiunt fortiores. CASSIOD. *lib. 7. variar. formul. de armor. factor. 18.* Denique ad ipsam regni maiestatem conseruandam non tam diadema aut sceptrum prodest, quam ferrum. BVSBEQ. *conf. de milit. contr. Fure. infl. fol. 183.*

IX. Mitto prisca vsus alios hic commemorare, *partim saeuos et graues, puta, hastae projectionem in fines hostium, bello indicendo; gladium et pugionem, morti denuntiandæ; partim honorificos, puta arma Diis suspendendi; partim tristes, puta in funeribus et exequiis:* Illud omittere non possum, quo pugio et gladius summi merique Imperii symbolum fuerunt. PLVTARCH *in qu. Roman. HERODI. lib. 3. It. SVET. de Sergio Sulpitio Galba cap. 11. eius vitae* scribit, eum, vt occisum Neronem, cunctosque in sua verba iurasse cognouisset, deposita legati, suscepisse Caesaris appellationem, itaque ingressum esse palatium, ac pendente a cernicibus pugione ante pectus, ad extremum tamen a Vespasiani exercitu Romae oppressum, assistenti Consuli Caecil. Simplicii, solum a latere pugionem, velut ius vitae necisque ciuium reddidisse. TACIT. *3. Hister. 68.* Ita de Vitellio SVETON. *in eius vita cap. 8.* Postquam Imperator consalutatus esset, gladium D. Iulii in prima gratulatione sibi porrectum, strictum tenuisse: Et de eodem *cap. 15.* solum a latere pugionem Consuli primum, deinde illo recusante magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrexisse, tanquam Imperium resignaturum.

Ita hic ipse mos, vt gladius imperii summi esset character, deinde ad alia etiam regna transiit. Vt enim, quae de coronatione Gal-
liarum

liarum IOH. BOTER. in *relat. de regn. Galliae*. Poloniae MARTIN. CROMER. *lib. 2. Poloniae*, et aliorum Regum scribunt alii, relinquam; illud memorabile non est praetereundum, quo Saxo Elector Wilhelmum Imp. in coronatione sua adfatus est, et finis huius solennitatis explicatur: *Accipe ensē regium, ut rebelles seuera correptione potenter affligas, omnesque beneuolos in tranquilla pace gubernes.* Vnde Imperatori etiam gladius praefertur, vid. ARVM. *discurs. 6. ad A. B. th. 30.* Quae consuetudo ab ipsis Caroli M. temporibus videtur continuata, cui spatha nuda ante tribunal praeferebatur, si TVRPINO credimus in *eius vita cap. 20.* Sed et AIMONIVS MONACHVS, siue Continuator eius *lib. 5. cap. 35.* scribit, Richildem, Caroli Calui vxorem, Ludouici Iunioris matrem, attulisse Ludouico praeceptum, per quod pater ipse illi regnum ante mortem suam tradiderat, et *spatham, quae vocatur S. Petri*, per quam eum de regno inuestiret. Haec omnia eam ob causam fiebant, ut hostibus et fontibus terror iniiceretur, infantes autem scirent, se sub protectione summi magistratus a vi et iniuria tutos esse. CAME-RAR. *Cent. 1. borar. subcisa. cap. 76.* Hinc sane iam in Imperio Romano, ut gladius summi imperii symbolum fuit, ita et ius gladii, potestas gladii, merum Imperii significabant. *l. Imperium 3. ff. de iurisd. l. aut damnum 8. §. vita adimitur 1. ff. de poenis. l. illicitus 6. §. qui vniuersas 8. de offic. praesid. vide CUIAC. 21. Obs. 30. et quae infra amplius dicentur.*

XI. Potest et ab hoc more manasse videri, quod regna antiquitus per gladium in inuestitura conferebantur, OTTO FRISINGENSIS *lib. 2. cap. 5.* quemadmodum prouinciae, Ducatus, Marchionatus, Comitatus per vexillum. MARQ. FREHER. *not. ad P. de ANDLO lib. 2. cap. 10. verbo, feudis quae Fahnleben.* Licet hodie omnia feuda regalia per vexillum, sceptrum, gladium aut hastam conferantur. HOTOM. *disput. de feud. cap. 23.* INTRIGLIOL. *de feud. q. 55. num. 7.* SCHRA-DER. *de feud. part. 5. cap. 2. num. 2.* ita, ut vasallus praestito fidelitatis iureiurando ensē apprehendat, eiusque contum extremum osculetur. v. VVLTEL. *1. feud. 7.* Quomodo deinceps isthac occasione dignitatis privilegium et ornamentum gladii gestatio facta fuerit, declarabitur infra *cap. 5.* Huc etiam referri posset antiquus adoptandi mos per arma, de quo CASSIODORVS *4. var. 2. et 8. var. 1. et 9.* et IORNANDES in *Gothicis*: itemque sacramentum militare LIVIVS *lib. 7.* aut alia iuramenta dicendi. v. CUIAC. *I. F. 1. ad §. Si autem controuersa.* Sed ista huic loco forsitan minus quadrant.

DE IVRE ARMORVM

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ.

CAPVT PRIMVM.

DE FABRICA ARMORVM ET FABRICENSIBVS.

I. **N**unc, quod instituimus, de ipso armorum iure dispiciamus. Ius vero illud ex diuersa armorum consideratione distinguendus: Arma considerantur vel vt fabricanda, vbi de armorum fabrica et fabricensibus; vel vt iam facta vsibusque humanis exponenda, vbi de tribus his dicendum erit: puta de armorum commercio, possessione, vsu, quatenus haec publice liceant: quo ipso ordine de purpura quaeritur in iure nostro, utrum licita sit eius tinctura confectioque, l. 3. C. de vestibus bolob. commercium l. 1. C. quae res vendi non poss. possessio denique et vsus l. 4. C. eod.

II. Quantum ergo ad *ὀπλοποιίαν* seu Fabricam armorum pertinet: quamquam certo constet, priuatos inter caeteras ferri etiam sodinas habuisse, l. si cuius rei. 13. §. inde quaesitum est. 5. D. de usufr. l. sed si pecunia 3. §. fin. cum l. seq. D. de reb. eorum, qui sub tut. KLOCKEN. de iure vestigal. th. 3. lit. B. Fabrosque fuisse, qui fabricam docuerint: l. inter causas 26. §. faber 8. D. Mandati ex ferro tamen arma fabricare nemo potuit. l. fin. §. M. Antoninus, 12. D. de Publican. et vestigal. Sed armorum fabricandorum ius soli sibi Imperatores, vt et caetera Regalia referuarunt: quocirca et habuerunt tum armamentaria, seu armorum fabricas, tum fabricenses, id est, armorum artifices.

III. *Armamentaria* procul dubio intelliguntur sub *Armandiis*. 2. F. 56. *Quae sint regalia*. Vtunque enim varii varie eam vocem interpretentur: alii pro iure arma fabricandi ad d. t. 56. lib. 2. F. ad vocem *armandiis*: alii pro vestigali ex armentis animalium, ALVAROTI. L. SERN. et alii *ibid.* nonnulli pro eo, quod ex armorum fabricandorum licentia praestatur, ROSENTHAL. in *synops. iur. feud. cap. 5. conclus. 19.* Communius tamen recentiores, officinas publicas siue armamentaria, in quibus arma fabricantur, ea voce intelligunt, eo ipso, quod haec Imperator

perator sibi soli vindictet, *d. Nou. 85.* Menochius, Cuiacius, cum sequace Borcholt, et alii allegati a GODOFR. ANTON. *disp. feud. 3. tb. 7. lit. B.* Quae sententia primae non contrariatur, siquidem arma non nisi in armamentariis publicis fieri poterant: Nisi quis *armamentarium* vocem non solum ad aedes, in quibus fabricantur, sed et, in quibus asseruantur, *arg. d. Nou. 85.* pertinere putet.

IV. Erant autem plurima olim in Imperio armamentaria, quae ineptus interpret Nouellarum, *d. Nou. 85. cap. 1.* vocat, *armificatoria*; Fabricae rectius dicuntur: Nempe cum diffusum illud Imperii corpus vndique multorum iniuriis et assultibus expositum esset, vt militi tuendis limitibus destinato arma necessaria suppeterent, opus erat prouinciatim fabricis, in quibus ad vsum Reipubl. a Fabricensibus omne armorum genus fabricaretur: Harum in Oriente quinque, in Occidente nouedecim enumerantur in *Notitia Imperii Theodosiana*: (de quo libro vide post Commentatores, vt G. PANCIROLLVM *cap. de Armam. Dn. GODOFRED. ad l. quas gratias, 1. §. et est notitia 8. C. de Off. Praef. Praetor. Africae.* BERTIVM *lib. 1. Comment. rer. German. cap. 22.*) quae et enumerantur apud GODESCALC. STEWECHIVM *ad lib. 2. Veget. cap. 21.* BORCHOLT. *in explicat. d. c. 56. Quae sint regalia num. 23.*

Ad tit. C. de Fabricensibus.

V. *Fabricae* hae in vniuersum erant sub dispositione Magistri officiorum: vid. *Notitiam sub tit. sub dispositione viri illustris Magistri officiorum*, et ibi PANCIROLL. ad quem ideo etiam *lex 3. et 7. C. de Fabricensibus lib. 11. et Nou. 85.* perscripta inuenitur: Nec alibi, quam in iudicio ipsius sublimitatis, ad cuius Iurisdictionem potestatemque pertinebant, Fabricenses comueniri poterant, *l. eos qui 6. C. eod.* Iterum, singulae Fabricae in singulis ciuitatibus erant sub Patrum seu Defensorum Ciuitatis inspectione, *arg. d. Nou. 85. cap. 2. Nou. 17. Nou. 75. 104. etc.* Et certum Fabricensium numerum continebant.

Fabricensium Notatio. Diuisio.

VI. *Fabricenses* dictos putant nonnulli ioculariter, quasi fabricae censitos, id est, adscriptos, *arg. rubr. C. in quib. caus. colon. censit. LVC. de PENNA in rubr. C. de Fabricens.* Simplicius alii quasi *Fabros Censitos*, vel rectius, Fabricenses quasi *Fabricantes*. Horum duo gene-

ra constituit CVIAC. in d. Nouell. 85. vt alii fuerint Deputati, qui numeri cuiusque militibus arma procurarent, alii simpliciter *Fabricenses*: illi milites, quique annonas e publico tulerint; Hi non item. Id quod ex d. Nou. 85. cap. 1. colligit ibi: *Qui in publicis deputati sunt armifactoriis, aut qui dicuntur Fabricenses.* Ita cap. 2. dicitur, *si qui visi fuerint aut deputati, aut Fabricensii.* Quam ad rem adduci etiam potest, l. vn. C. *Negotiat. ne milit.* vbi dicitur, *eos, qui a' exstruktionem armorum professionem suam contulerint, posse ad competentem suae professioni venire militiam.* Cuius vers. sensum, vt id obiter dicam, LVC. de PENNA ib. recte (quod aliqui negant) assecutus est, nempe quod Fabricenses negotiationem armorum retinere possint, et nihilominus armatam militare militiam: *Competens enim militia professioni fabricensium est vicina, proxima:* Nimirum cui melius competat armorum vsus, quam qui fabricam et fabricatorum a se armorum negotiationem exercet?

VII. Differebant autem Fabricenses hi ratione destinationis: Alii siquidem ideo constituti erant, vt in publicis fabricis arma cuderent; alii ad hoc ordinati, non vt noua arma facerent, sed solum curam armorum haberent militum in numero constitutorum. Caeterum priores milites faisse male cum nonneme colligas ex l. *si quis consortium* 4. C. de *Fabricens.* vbi omnes, qui ad consortium Fabricensium adoptantur, *ad militiam assumi* dicuntur: et si quaedam militia fuerit fabricensium, pariter vt caeterarum huiusmodi scholarum, ceu CVIAC. scribit ad l. 3. C. d. t. et illos textus inducit.

VIII. Vtrique fabrorum horum generi, et Fabricensium et Deputatorum nomen conuenit: Istis tamen, qui ad certum militum numerum, quorum armis prospicerent, erant adstricti, magis *Deputatorum* in specie: illis, qui armorum fabricandorum simpliciter curam habebant, nec ad certam militum cohortem remissi erant, generali *Fabricensium* nomine relicto: Et his congruenter, cap. 1. d. Nou. 85. particula, *aut*, aduersatiue, non explicatiue, prout alias quandoque, l. *cum quidam* 4. C. de *V. S.* Et adiectio illa, *qui de fisco annonas accipiunt*, non *κατὰ ἐπίθετον*, sed *κατὰ διασολὴν* accipienda erit: (nempe quidam Fabricenses fuerunt, qui de Fisco annonas non acceperunt, non obstante cap. 3. de *Nou.*) aliter atque illa verba, *qui in numeris sunt*: non obstante rursum d. l. *ture prouisum*. 5. C. de *Fabricens.*

IX. Inter istos Fabricenses in specie nominantur *Balistarii*: qua voce proprie accepta fabricatores certarum machinarum, quibus spicula emittebantur, v. VEGET. *lib. 4. cap. 22.* veniebant, v. Notit. vbi passim Balistariorum seniorum, iuniorum, Theodosianorum etc. fit mentio, et ibi PANCIROLL. Hoc praeterea *ex cap. 2. d. Nou.* apparet, istorum muneris fuisse, vt publica arma in armamentariis ciuitatum reposita, corrigerent ac renouarent, veluti quibusdam in locis etiamnum *die Büchsenmeister zugleich Zeugwartter seynd*, h. e. tormentorum magistri curam etiam habent, ne quid detrimenti arma ab aerugine capiant.

Qui Fabricenses fieri potuerint.

X. *In ordinem* porro Fabricensium is recipiebatur, qui nec a no, nec patre curiali genitus, nihil ordini ciuitatis debebat, nec vlli ciuico muneri obnoxius erat (ita enim legendum esse, tum Codex Theodosianus, tum contrarii casus *ibi: Clutca sua munera*, ostendunt) alioqui si tale quid deprehenderetur, vel ab initio non admittebatur, vel ex postfacto in pristinam conditionem retrahebatur. *l. si quis consortium 4. C. d. t.* Nec enim permittendum erat, vt se quisquam hoc suo proprio facto, vel muneribus ciuilibus curialibusue, vel alieno aeri subduceret.

Quomodo.

XI. Postquam hoc apud acta quis professus esset, docuissetque, se ab omni hoc nexu prorsus immunem, in numerum Fabricensium recipiebatur, *d. l. 4.* recepto stigma statim inurebatur, non infamiae, sed officii et societatis signaculum. *l. stigmata 3. C. eod.* quemadmodum tironibus militum, *d. l. 3.* vbi CUIAC. STEWECH. *ad lib. 2. Veget. cap. 5.* eo fine, vt nunquam ab ipso opere se posset subducere, sed ei negotio immoraretur.

Quae re:ceptorum conditio.

XII. Laboribus exhausto Fabricensi, surrogabantur liberi *d. l. iure prouisum 5. C. eod.* beneque se gerens, primicerius, secundoceries etc. fiebat, munereque Primiceriatus expleto, intra biennium excusationem a munere consequeretur, *l. eos qui 6. C. eod.* eumque honorem, vt inter Protectores Principis aeternitatem adoraturus dirigeretur; Ita enim in *l. primicerium 2. C. h. t.* legendum esse, expunctis illis verbis, *quidem fabricae suadet Cuiacius, tum Codicis Theodosiani, in quo haec verba*

verba non habentur, fide, tum quia sensum turbant, nec quo referantur, commode inueniunt.

XIII. Sensus autem istorum verborum non ille est, primicerium hunc, de quo *in d. l. 2.* rescribitur, cum reliquis primiceriis ad Principem venerandum introducendum esse, quod LVC. de PENNA ib. velle videtur, dum Protectorem idem esse vult, quod primicerium: Sed quod inter stipitatores Principis, qui, domi aut foris eo degente, excubias ad latus eius agebant, (*mit oder unter der Kayserlichen Leibguardt,* qui protectores, *und Trabanten,* qui domestici, *t. t. C. de domest. et protector.*) ad venerationem Principis admittatur: qui honor eximius erat, *l. praefecturae 1. C. de apparit. praef. praetor.* nec quibuslibet patebat, *l. praeter eos. 1. C. de apparit. Praef. urbis, lib. 12,* vt et is, quod inde ad compellationem Praefecti Praetorio aditus aperiretur, arg. *l. domestici. 1. C. de domest. et protect. lib. 12.* quam recte CUIAC. post LVC. de PENNA totam ad vicarios Praefectorum Praetorio refert, hac paraphrasi: *Protectores et domestici Principis, cum salutant Vicarios Praefecti Praetorio, possunt illos osculari.* Ista enim interpunctio in eo textu tenenda est: *Osculandi, cum salutauerint Vicarios tui culminis,* etc. prae illa: *osculandi, cum salutauerint Vicarios, tui culminis* etc. Cui hic sensus adstringitur: Stipitatores et parastatas Caesareos admittendos esse ad osculum Praefecti Praetorio, postquam eorum vicarios salutauerint, et forte ea de re compellarint. v. de more osculandi Impp. et magnates inter alios DN. GOTHOFR. ad *l. si a sponso 16. C. de donat. ante nupt.*

Quod officium.

XIV. Officium Fabricensium erat, diligenter armorum Fabricae intumbere, nec aliis negotiis sese immiscere, *l. nullus 7. C. de Fabricens.* sed ad partes tam sociorum quam proprias respicere; alioquin, quod ab vno neglectum fuisset, omnibus eiusdem corporis membris imputabatur. *d. l. iure prouisum 5. C. de Fabricens.* Et vt omnis occasio fraudibus praecideretur, ipsa ferri materies, quae facile deduceretur, ignibusque liquefceret, praestanda erat, non pecunia pro ferro, *l. omnibus 1. C. d. t.* At arma iam fabricata non priuato vlli vendere poterant, sed aut armamentariis publicis erant inferenda, *Nou. 85. cap. 3.* aut vsu exigente, vt ad exercitum transueherentur, permittendum: Vbi magister officiorum munus et locum, ex quo arma transferenda essent Praefecto Praetorio significabat, is porro moderatoribus Praetorianis

vt illis transportandis de publico praebentur angariae, *l. nullus 7. C. d. t.* id est, prout itineris ratio postulare, pro transuectione (armorum forte, vestium militarium et similibus) iumentorum, plaustrorum et nauium copia, id enim esse *angarias*, post alios docet PANCIROLLVS ad *d. Notit. lib. 1. cap. 6.* Glossat. Codicis HENRICIANI *lib. 20. tit. 45. l. 19. des offices militaires.*

Quaestio.

XV. Interim, quod *hac l. ult.* dicitur, Angarias praestandas esse de publico ad armorum transuectionem, quaestioni locum facit, an subditi teneantur angarias pro armorum et tormentorum transuectione de suo praestare? Ratio negandi ex dictis modo verbis, *de publico*, peti posse videtur: quae quidem Gl. et Luc. de Penna notanda esse monent, quo magis hodie negligantur, iustitia calcata. Iunge *l. 2. C. de lucr. aduocat. lib. 12.* Nam et ideo, inquit ANDR. de ISERN. *ad Constitut. FRIDER. de statut. et consuetud.* habet Princeps tributa et redditus, vt regnum seruet absque subditorum grauamine, *c. milites 13. q. 1.* Vnde SEVERVS Imp. quod antea Prouincialium sumptibus fiebat, vt equi cum hominibus in cursu publico alerentur, id fisci onus esse iussit. SPARTIANVS in *Seuero.* Ratio vero affirmandi haec adferri potest, quod angariae inter regalia referantur, quibus fisci commodum quaeratur, ne is nimium oneretur. Adde *l. felicissimam 2. C. de quib. numer. vel praestat. nem. lic. se excusf. et l. nullus 21. C. de curs. publ.*

XVI. Putarim interesse, vtrum angariae postulentur ad necessariam expeditionem, an praeter eam ad aliam causam pro beneplacito. Priori casu, vt si vel ad expeditionem bellicam, vel Romanam, quam felicissimam Regalis numinis expeditionem vocant LOTHARIVS et FRIDERICVS Imp. v. FREHER. *ad P. de Andlo, lib. 2. cap. 6. verbo, cum copioso exercitu, et in comment. ad constitut. Caroli III. de feud. exigantur*, ne ipsae quidem Ecclesiae exeulantur, *l. neminem 11. (quae est pars d. l. 2. C. de quib. muner. nem. se lic. excusare) C. de S. S. Eccles.* praesertim si calculus ordinariorum principis redituum ad hoc non sufficiat. v. KLOCKEN. *de contribut. in Imperio vsitatis tb. 47.* Posteriori casu, si necessariae expeditionis ratio cesset, veluti in causa transfretationis vltimari-nae, acquisitionis noui territorii, ad hoc, vt nec ad reliqua onera subditos cogi posse existimarim, per ea, quae habet KLOCKEN. *d. t. tb. 49.* Glossat. Cod. HENRIC. *d. l. ibi: le Roy ne veut charger le peuple, si non que*

que pour la necessité. Quanquam LVC. de PENNA *in l. 1. C. ut rust. ad null. obseq. num. 17. et seqq.* insuper distinguat inter Vasallos et Burgenses seu alios subditos, vt illi fortius teneantur ad haec et alia seruitia iure vasallagii, non item reliqui, bona feudalia non possidentes.

Applicatio huius iuris ad bodiernum Reip. Rom. statum.

XVII. Et haec quidem de Fabrica armorum in Imperio Romano, cum penes Imperatores cuncta Regalia incommunicabiliter residerent, obtinebant: Postea vero quam Imperii Statibus Regalia, maxime minora, communicata sunt. PAVERMEIST. *de iurisd. lib. 1. cap. 4.* hac parte ius immutatum fuit. Initio scilicet, translato in Thraciam, deinde in Francos et Germanos, Imperio, loco Proconsulum, Praefectorum et Praesidum, sub quibus nominibus antea Prouinciae regebantur, Comites varii generis constituti sunt THOM. MICHAEL. *de iurisd. tb. 130.* et variis vndique hostibus ingruentibus Limenarchae seu limitum defensores, MATTH. STEPHAN. *lib. 2. de iurisd. part. 1. cap. 6. num. 92.* sed temporarii, solisque stipendiis ac salariis remunerati: IOACH. STEPHAN. *lib. 1. de iurisd. cap. 3. num. 37.* Postea vero, vt statum hostium melius discerent, in Prouinciis ad vitae tempus sunt relictii, nec nisi sceleris conuicti aut alia magna ex causa, auocati. PAVL. AEMIL. *lib. 1.* Denique vrgentibus Imperii fati, partim ipsi Prouinciarum remotiorum Praefecti diuturnae Imp. absentiae et locorum distantiae occasione capta, publica iura ad se traxere, suaeque potestatis fecere; KLOCKEN *de iure vestigal. thes. 10.* partim etiam ipsi Imp. vltro, vt praefectos aduersus hostes alacriores efficerent, prouincias ipsis appropriarunt, certi, hos eo fortius sese gesturos, quo scirent, quicquid detraheretur, sibi met periturum. VVLTEI. *1. feudor. 1.*

XVIII. Post isthanc igitur mutationem, nomina Ducum, Marchionum, Comitum, quae administrationis olim fuerant, patrimonii facta sunt, plerisque Praefectorum eius ditionis, cuius iura antea defenderant, appellationem adsummentibus. ANDR. KNICHEN. *exquisite in tr. de superiorit. et regal. territ. iure cap. 1. num. 192.* Qua porro occasione, quo tempore, talia munera hereditaria facta sint, v. prolixius CHRISTOPH. LEHMANN *in der Speierischen Chronick lib. 4. cap. 1.* ANTON. COLER. *de iure Imper. German. tb. 58.* KECKERM. *disput. Polit. vlt. tb. 12.* (quos ideo ipsorum Historicorum et autorum veterum loco allego, quod ex consilio P. N. MOZZ. *tr. de contract. col. 1. num. 7.*

num. 7. modèrni a breuitatis studiosis adduci debeant, omiffis antiquis, qui per relatos allegantur.) Hinc nata Doctòrum hypothefis, quod, poftquam vniuerfale territorium et ius fuperioritatis ad Principes translata funt irreuocabiliter, MOLIN. *in confuetud. Parif. tit. I. de mater. feud. §. I. gl. 5 in verbo le fief, n. 49. et 59.* tantum ftatus poffint in fuo territorio, quantum Imperator in Imperio. WESENB. et allegati *in parat. C. de ll. num. 3.* quod quatenus intelligendum fit, declarat fufe REINKING. *lib. I. tr. de regim. fecul. et Ecclief. cl. 5. cap. 6.*

XIX. Principes rurfum ifti et magiftratus, qui iam Imperatori quam Praefidi magis fimiles effecti erant, MENOCH. *conf. 302. num. 21.* vt ritè fe compararent ad defenfionem fuorum terminorum, militibus fuis et equitibus, quos antea fuo fumptu aluerant, praedia per inueftituram conferebant, vt inde fe alerent, temporeque neceffitatis fibi praefto forent. Qua de re eleganter *Gl. ad art. 58. lib. 12. iuris Saxon.* cuius verba non pigebit adfcribere: *Nachdem die Römer, inquit Gloffator, alle Welt bezwungen hatten, haben fie auf ein jedere Landfcheidung ja einen gefetzt, welchen fie einen Fürften genennet haben, und ihm etliche Ritter zugeordnet, diefelben hielt er dann bei fich an feiner Koft: Hierzu nahmen diefelben Fürften alle der bezwungenen Leute Aecker ein, und was unter denfelben zu vormiethen dachte, das thaten fie umb einen befcheidenen Zins aus, und bielten darvon ihre Ritter. Was aber überblieb, folches gaben fie den Römern. Nachmals als die Lande alle bezwungen und im Friede waren, fiel es den Fürften befchwerlich vor, die Ritter alfo ftets auf ihren Koften zu balten, und darumb lieben fie ihnen die Güter im Lande, auf das fie fich davon felbft unterbielten, und den Herren darvor gebürliche Dienft pflageten.*

XX. Ex quibus omnibus ordine patet, non folum magiftratus, qui fuperioritatem territorialem habebant, conceffa fuiiffe arma et armamentaria, cum fine horum praefidio finem illum, quem fupremus concedens principaliter fpectauerat, Prouinciae nimirum defenfionem, obtinere non potuiffent, iuxta dicta fupra *in Protheoria ib. 8.* Sed facultatem infuper communicatam armandi quosuis homines iftius tutelae caufa: Hinc factum, vt dilapfis ad fua praedia colenda militibus, arma fingulis in manu relinquerentur, quo ftatim ad fignum datum in procinctu forent, (v. PONTVM HEVTERVM *lib. 7. fol. 341. ibi: ante Caefaris Maximiliani tempus Germanis exteri peditis nullus erat vfus, fed* *urgente*

urgente bello Principes ac Resp. pedite oppidis et agris excito utebantur etc.) maxime Equitibus *der Ritterschafft*, quo nomiae olim nobiles praecipue indigitabantur. BESOLD. I. *Polit.* II. n. 45. et dicitur *infra cap. 6.*

XXI. Porro, quia sumtus ex agris, non e publico ad victum et amictum militibus praebantur, iam collegia Fabricensium erecta, qui militibus arma fabricarentur corruptaque reficerent: vbi approbati collegio et iam quadantenus in numerum allegati, Fabricenses nominari possunt, qui publica quasi auctoritate censiti et iudicati sunt idonei, qui arma fabricent, vt titulus *de Fabricensibus* non omnino exoleuisse in eorum personis videatur. Nam etiamnum certo auctoramento tirones suos recipiant, et non nisi intra certa tempora ad honores secundiceriatus, primiceriatus et similes, vid. BESOLD. I. *Polit.* 12. *th.* 23. vel potius pro his introductos honorum suorum gradus, admittunt, et huic negotio, non alii vacare possunt, hostibus item reipubl. vt paulo post dicitur, arma distrahere vetantur; vt per omnes causas facile id ostendi posset, si id tanti foret: licet aliqua, conuersa Reipubl. facie, mutauerint.

XXII. Eadem fere ratione Ciuitatibus, quae omnes antea Imperatori subditae erant, et ab illis Praesides datos habebant, quaedam Principibus cum reliqua tota Prouincia et ditione cesserunt; quaedam speciatim Imperio ab Imperatoribus fuerunt reseruatae. ARNOLD. ENGELBRECHT. *de Iurisd. Imper.* *th.* 53. Hinc Ciuitates in Imperio aliae Liberae sunt, aliae Municipales. Illae vel omnimodo a cunctis aliis superioribus liberae sunt, ita vt nemini praeter Imperatorem teneantur, et simpliciter *Liberae* dicuntur: Vel modo quodam et quadantenus liberae sunt, ita vt in nonnullis causis alium etiam superiorem comiter colant et reuerentur.

XXIII. De prioribus *ALCIATVS* in *l. censi* III. *D. de verb. signif.* inquit: Solae antiquam indolem retinuerunt in Germania Ciuitates, quas *Brancas* vocant, (vel villas publicas, quae Regni et Reipubl. non Principum essent, MARQ. FREHERVS *not. ad P. de Andlo lib. 2. cap. 16. vers. Ciuitates*): Vt enim, pergit *ALCIATVS*, hae Imperii fastigium libenter agnoscunt; ita tributis se grauari, violentia vrgeri, tyrannide opprimi non patiuntur. Et *TRAIAN. BOCCALIN. cent. 2. q. 6.* Solas in Germania Ciuitates eam liberae Reip. formam inuenisse scribit, quae diuturnitate etiam cum Monarchica certare queat, hocque

tam olim Graecos et Romanos, quam Italos quoque modernos latuisse.

¶ Quamvis autem has iterum nonnulli distinguant in *Liberas Imperiales*, *Freye Reichs-Städte*, et simpliciter *Imperiales*, *Reichs-Städte*, vide WEFNER. in *observat. pract. verb. Freye Reichs-Städte*. Hanc tamen distinctionem parum huc facientem, omittimus.

XXIV. Hae Ciuitates igitur, cum in sua Rep. tantundem possint, quantum de Principibus supra diximus; GAIL. lib. 1. de *pac. publ. cap. 6. num. 10.* SCIP. GENTIL. de *iurisdic. lib. 3. cap. 22.* Vide den *gründlichen Bericht von allen und jeden der Freyen und Keiserlichen Reichs-Städte Privilegien etc. Wie und welchergestalt dieselben etc. besreyet.* Imperiumque modernum non solum super Principes, sed et Ciuitates sit fundatum, P. de ANDLO lib. 1. cap. 6. pari, qua reliqui Status, ratione, se et subditos suos armis instruere possunt. Quam in rem et Recess. Imper. de anno 1555. und *dennach ein Kriegswolck zu Ross*, ubi Statibus ius fabricandi et parandi tormenta bellica, *Geschütz, Artillerie und Munition*, habendi armamentaria, *Zeug- und Rüsthäuser*, muniendi et extruendi arces et fortalitia, tribuitur. ARNISAEVS de *iur. Maest. lib. 1. cap. 5. num. 8.* Quae omnia ad Regalia pertinere docet SIXTIN. de *Regalib. lib. 2. cap. 5. num. 15.* quae Regalia et superioritatis iura, quatenus Ciuitatibus Imperii competant, vide BESOLD. de *ciuitat. Imper. th. 9.* DAN. OTTON. de *iur. publ. cap. 18. p. m. 446.*

XXV. Reliquae Ciuitates, quae vel modo quodam vel simpliciter sub aliis sunt, ad eorum praescriptum ius armorum fabricandorum et habendorum exercere debent, nisi quatenus singulae privilegijs exemptae sunt, quae inquirere hoc loco superfedeo. ¶ *Municipales* certe adhuc hodie priuatorum loco sunt habendae, arg. l. *cum qui vectigal* § 6. D. de *verb. signif.* GAIL. *observat. 57. num. 8.* quod de Liberis Imperii Ciuitatibus nequaquam dici potest. GAIL. *ibid. num. fin.* PAVERMEIST. lib. 1. de *iurisdic. cap. fin. num. 17.* et dicam *infra cap. 6.* Haec de armorum fabrica.

CAPVT SECVNDVM.

DE COMMERCIO ARMORVM.

Commercium armorum interdictum, tam inter ciues, a Iustiniano,

I. Sequens est, vt de armorum Commercio videamus. Commertium respicit vel Ciues Reip. Romanae (quales omnes sunt, qui in orbe Romano degunt, *l. in orbe Romano 17. D. De statu hom.*) vel barbaros. Est autem a IVSTINIANO omne armorum commercium interdictum, vt ne inter ciues quidem sit admissum, sed sub eadem poena, qua fabricatio, prohibitum. *d. Nou. 85. cap. 4. ibi: et emere.* Siquidem Fabricenses et deputati supplicii subiiciuntur, si arma publico armamentario non inferant, sed inter priuatos distrahant, *cap. 2. in fin.* et priuati fabricenses, qui extra numerum sunt, si tale quid agere comperti sint, poenam tam pecuniariam quam capitalem formidare debent, *cap. 3. §. 1.* ita etiam arma emtoribus auferuntur sine pretii restitutione, publicoque vindicantur, *d. cap. 2. in fin.* denique et magistratibus, ad quorum curam hoc pertinet, graues poenas IVSTINIANVS interminatur, *d. cap. 3. §. 1. in fin.*

Non olim,

II. Haec quidem ita IVSTINIANVS *Nouella illa sua* constituit: Ante ipsum vero arma promercii causa habere licuisse docet aperte *l. excipiuntur 2. D. ad l. lul. de vi publ.* quae quidem lex ideo cum ista *Nouella* committi solet: An igitur dicendum est, diuerso Reipubl. tempore diuersa placuisse: An armorum licitorum commercium intelligendum est, quibus quis in venatione, itinereue vtatur, iuxta *l. 1. D. eod.?* Vt ita arma, quae supra definita sunt, hoc est, quae ad id ordinata, vt illorum in praelio vsus sit, habere domi priuato aut possidere non fuerit integrum: Ea vero, quae rudiora, vt venabula, quae ad venationem bestiarum aut vsum itineris composita, in commercio et manibus priuatorum fuerint? An temporaria illa interdictio fuit? Ita omnino inuadet praefatio *d. Nouella 85.* et dicam infra latius *cap. seq.*

Neque hodie;

III. Hodie commercium istud inter ciues liberum est, vt paulo ante declaratum, nisi a territorii cuiusque domino singulari ex causa aliquando

aliquando id prohibeatur: Quinimo ciues specialibus mandatis ad armorum comparationem adstringi solent, eamque in rem *inspectores* delegari, qui num arma in promptu sint, eaque expedita et polita, iustrent, quibus omnino parendum esse, monet. PARIS. *conf.* 171. *num.* 19. *lib.* 4. DECIANVS *tr. crimin.* *lib.* 4. *cap.* 3. saepe nobis allegandus, quod plurimum de hac materia pertractat. Et haec de Ciuibus.

Quam inter extraneos,

IV. *Barbari* Romanis dicebantur et in Impp. Constitutionibus intelliguntur omnes gentes, quae Romanae non erant, nec ambitu Romani Imperii continebantur. 1. *Romanae.* 2. *C. de Eunuch.* etiam ipsi socii, ut apud LIV. *lib.* 25. *cap.* 33. et *lib.* 28. *cap.* 17. v. *ALCLATVM* ad l. *scrimis.* 7. *C. de Palatin. sacrar. largit.* *lib.* 12.

V. De his tractat potissimum L. 2. *C. quae res export. non deb.* ubi habetur et *prohibitio* et *poena.* *Prohibitio* proponitur tum in sese, quod barbaris siue legationis specie, siue alio quocunque V. C. induciarum praetextu Constantinopolim aut aliouersum, ubi arma fabricantur, venientibus, neutiquam vendenda sint, cuiuscunque generis arma, imo ne ferrum quidem vel factum vel infectum, ex quo ab ipsis arma cudi possint: Tum in addita confirmatione et *ratione*, ab vtilitate publica defumta. Nam ut TACITVS 2. *Annal. cap.* 21. loquitur, Barbari a Romanis armorum genere facile superabantur, quod illis non lorica, non galea, ne scuta quidem ferro firmata essent: Idem de *morib. German.* c. 43. et 46. Quod si ergo ferro adiuti fuissent, maxime id periculosum Reip. futurum fuisset. DECIAN. *d. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. Adeoque recte Imp. sub *poena* confiscationis omnium bonorum capitisque periculo hanc in Barbaros distractionem praecauet. ALEX. *conf.* 130. *num.* 7. Sed et antiquitus lege Iulia Maiestatis tenebatur, cuius opera hostes populi Romani armis, telis, equis, pecunia aliaue qua re adiuti erant, l. *cuiusque dolo* 4. *D. ad l. Iul. Maieft.* Quin et ne cotem quidem ferro subigendo accommodam vendere iis licitum fuit, l. *cotem* 11. *D. de publican. et vectigal.* (Vnde apparet arma hoc loco paulo latius dici. DECIAN. *alleg. loc.*) Quanto magis animaduersionem merebitur ille, qui conficiendi machinas bellicas incognitam ante peritiam Barbaris detexit. l. *bis, qui* 25. *C. de poen.* Cuiusmodi facinoris autorem nominant Troilum Pignatellum, qui ineffabili Christianorum malo Turcis tormentorum conficiendorum rationem tradiderit. ZWINGER. *theat. vit. hsm. pag.* 3581.

VI.

CAPVT SECVNDVM.

DE COMMERCIO ARMORVM.

Commercium armorum interdictum, tam inter ciues, a Iustiniano,

I. Sequens est, vt de armorum *Commercio* videamus. *Commercium* respicit vel Ciues Reip. Romanae (quales omnes sunt, qui in orbe Romano degunt, *l. in orbe Romano 17. D. De statu hom.*) vel barbaros. Est autem a IVSTINIANO omne armorum commercium interdictum, vt ne inter ciues quidem sit admissum, sed sub eadem poena, qua fabricatio, prohibitum. *d. Nou. 85. cap. 4. ibi: et emere.* Siquidem Fabricenses et deputati supplicii subiiciuntur, si arma publico armamentario non inferant, sed inter priuatos distrahant, *cap. 2. in fin.* et priuati fabricenses, qui extra numerum sunt, si tale quid agere comperti sint, poenam tam pecuniariam quam capitalem formidare debent, *cap. 3. §. 1.* ita etiam arma emtoribus auferuntur sine pretii restitutione, publicoque vindicantur, *d. cap. 2. in fin.* denique et magistratibus, ad quorum curam hoc pertinet, graues poenas IVSTINIANVS interminatur, *d. cap. 3. §. 1. in fin.*

Non olim,

II. Haec quidem ita IVSTINIANVS *Nouella illa sua* constituit: Ante ipsum vero arma promercii causa habere licuisse docet aperte *l. excipiuntur 2. D. ad l. lul. de vi publ.* quae quidem lex ideo cum ista *Nouella* committi solet: An igitur dicendum est, diuerso Reipubl. tempore diuersa placuisse: An armorum licitorum commercium intelligendum est, quibus quis in venatione, itinereue vtatur, iuxta *l. 1. D. eod.?* Vt ita arma, quae supra definita sunt, hoc est, quae ad id ordinata, vt illorum in praelio vsus sit, habere domi priuato aut possidere non fuerit integrum: Ea vero, quae rudiora, vt venabula, quae ad venationem bestiarum aut vsum itineris composita, in commercio et manibus priuatorum fuerint? An temporaria illa interdictio fuit? Ita omnino suadet praefatio *d. Nouella 85.* et dicam infra latius *cap. seq.*

Neque hodie;

III. Hodie commercium istud inter ciues liberum est, vti paulo ante declaratum, nisi a territorii cuiusque domino singulari ex causa aliquando

aliquando id prohibeatur: Quinimo ciues specialibus mandatis ad armorum comparationem adstringi solent, eamque in rem *inspectores* delegari, qui num arma in promptu sint, eaque expedita et polita, lustrent, quibus omnino parendum esse, monet. PARIS. *conf.* 171. *num.* 19. *lib.* 4. DECIANVS *tr. crimin. lib.* 4. *cap.* 3. saepe nobis allegandus, quod plurimum de hac materia pertractat. Et haec de Ciuibus.

Quam inter extraneos,

IV. *Barbari* Romanis dicebantur et in Impp. Constitutionibus intelliguntur omnes gentes, quae Romanae non erant, nec ambitu Romani Imperii continebantur. *l. Romanae.* 2. *C. de Eunuch.* etiam ipsi focii, *vt apud LIV. lib.* 25. *cap.* 33. *et lib.* 28. *cap.* 17. *v. ALCLATVM ad l. scriniis.* 7. *C. de Palatin. sacrar. largit. lib.* 12.

V. De his tractat potissimum *l. 2. C. quae res export. non deb.* vbi habetur et *prohibitio et poena.* *Prohibitio* proponitur *tum in sese,* quod barbaris siue legationis specie, siue alio quocunque V. C. induciarum praetextu Constantinopolim aut alioversum, vbi arma fabricantur, venientibus, nequiquam vendenda sint, cuiuscunque generis arma, imo ne ferrum quidem vel factum vel infectum, ex quo ab ipsis arma cudi possint: *Tum in addita confirmatione et ratione,* ab utilitate publica desumpta. Nam vt TACITVS 2. *Annal. cap.* 21. loquitur, Barbari a Romanis armorum genere facile superabantur, quod illis non lorica, non galea, ne scuta quidem ferro firmata essent: Idem *de morib. German. c.* 43. *et* 46. Quod si ergo ferro adiuti fuissent, maxime id periculosum Reip. futurum fuisset. DECIAN. *d. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. Adeoque recte Imp. sub *poena* confiscationis omnium bonorum capitisque periculo hanc in Barbaros distractionem praecauet. ALEX. *conf.* 130. *num.* 7. Sed et antiquitus lege Iulia Maiestatis tenebatur, cuius opera hostes populi Romani armis, telis, equis, pecunia aliaue qua re adiuti erant, *l. cuiusque dolo* 4. *D. ad l. Iul. Maiest.* Quin et ne cotem quidem ferro subigendo accommodam vendere iis licitum fuit, *l. cotem* 11. *D. de publican. et vectigal.* (Vnde apparet *arma* hoc loco paulo latius dici. DECIAN. *alleg. loc.*) Quanto magis animaduersionem merebitur ille, qui conficiendi machinas bellicas incognitam ante peritiam Barbaris detexit. *l. bis, qui* 25. *C. de poen.* Cuiusmodi facinoris autorem nominant Troilum Pignatellum, qui ineffabili Christianorum malo Turcis tormentorum conficiendorum rationem tradiderit. ZWINGER. *theat. vit. huius. pag.* 358 r.

VI.

Etiannum hodie.

VI. Quamobrem et Papa Rom. hodiernum die Iouis, qui Paschae festum antecedit, more antiquitus recepto, diris imprecationibus deuovere atque execrari solet illos, qui Sarracenis Turcisue arma subministrant. SLEIDAN. *lib. 3. histor. p. m. 52.* quemadmodum iure Canon. excommunicari iubentur, et serui capientium efficiuntur, c. *ita quorundam. 6. c. ad liberandam ext. De Iudaeis.* Quod Dd. ita interpretantur, vt ne quidem intentio deferentis sit requirenda, an vt Christianiis impugnentur, an vero lucri faciendi consilio vendiderit, sed sufficiat ad criminis huius consummationem arma Barbaris vendita fuisse. ALEX. *d. conf. 130 post. n. 1.* quem refert BOER. *decis. 178. num. 18.* et CLAR. *lib. 5. sentent. §. fin. quaest. 77. num. 25.* Respicendum enim est ad id, quod lex cohercere voluit, sc. venditionem. v. quae peene in simili disputantur ad *l. si quis 3. D. quod quisque iur. in alter.* vbi WESENB. *in parat. man. 2. et ad l. Cornet. de suar. n. 16:*

VII. Huiusmodi prohibitiones adhuc quotidie inter populos Christianum nomen profitentes, pessimo luctuosissimoque exemplo inter se belligerantes frequentantur. Sic anno 1584. in Ordinum Belgicorum consilio disceptatum fuisse, THVAN. *lib. 79. histor. refert,* an commeatus et armorum, caeterarumque rerum commercium et vectigalia pro euectione pendi solita, hostibus et incolis vltro citroque permitterentur an prohiberentur? Hic nonnullos proposuisse, quod vrbes atque adeo prouinciae maritimae ex negotiatione quaestum facerent, pecuniaeque ex vectigalibus collectae maxime ad belli sumtus necessariae essent: Aliquos contra disseruisse, quod piaculum magnumque probum sit, priuati commodi causa publicum hostem alere, qui, si subuectione illa prohibeatur, breui fame et rerum necessariarum penuria periturus sit, sublata se sustentandi vrbesque obsidendi facultate. Et has rationes tenuisse affirmat ad Edictum condendum, quo proscriptionis poena addita commeatus et armorum ac caeterarum mercium ad hostes et ab hostibus ad Prouincias Vnitas subuectio fuerit prohibita.

Quaestio.

VIII. Sed quid de *Vaginis armorum* dicemus? Fingamus enim, reliquarum quidem rerum commercium permitti, armis duntaxat exceptis, vbi quaestionem in facto contigisse meminit PETRIN. BEL-
LVS *tractat. de re milit. par. 9. tit. de salu. conduct. num. 26.* Fuerat, inquit,

inquit, conuentum inter belli duces, vt armis cuiuscunq; generis exceptis, reliquae merces vtro citroque impune deferrentur. Forte mercator vaginas ensibus recondendis attulit, is in commissum incidisse dicebatur, cum armis deferri prohibitis, etiam vaginae, vt accessorium, prohibitaee censeantur: Quaerebatur, an iure? Ita putat post REBVFF. ALBER. GENTIL. in *l. ferri proprie* 235. de *V. S.* Verum negatiua verior videtur (1) quod armorum nomine vaginae non veniant, vt ex dictis supra in protheoria liquet; (2) quod ideo arma excepta videantur, ne hostis validior reddatur, per *d. l. 2. C. quae res export non deb.* At de vaginis istud praedicari non potest. MENOCH. de *A. I. Q. cas. 95. num. 23. et seqq.* Neque quicquam contra moueat, quod se vaginae ad arma referant: Id enim negandum est, cum arma sine vaginis vere esse possint. Nec argumentum a cotis prohibitionee obsistit, *d. l. II. de publican.* Diuersa enim eius est ratio, cum ferro subigendo necessaria sit; sic vt hoc casu etiam cotes non impune ad hostes transferri posse arbitremur.

CAPVT TERTIVM.

DE POSSESSIONE ARMORVM.

Possessio armorum priuatis an adempta a Iustiniano?

Cum tantopere Romani circa armorum dispensationem solliciti fuerint, vt neque fabricationem, neque commercium illorum priuatis permiserint, videndum nunc, an et possessionem armorum proprie dictorum priuatis ademptam voluerint. Et IVSTINIANVS quidem sua sanctione Nouella, quae de *armis* inscribitur, armorum commercio in posterum ciuibus interdixit: Sed vt iam antea notauimus, temporaria interdictione, neque ideo *possessione armorum* eorum, quae antea quaesiuerant, interdixit: Vt non audiendi sint, qui ab ista commercii interdictione ad possessionis veterum armorum iam antea quaesitorum interdictionem, argumentantur. MENOCH. *cas. 394. num. 24* Quod enim, inquit, nulli priuato arma vendere licuit, ergo nec habere: Id hactenus verum est, paulatim ex mente IVSTINIANI rem eo perducendam fuisse, vt nemo penitus arma habiturus fuisset, post saeculum

F

forte,

forte, armis veteribus absumtis, vel rubigine exesis: Sed hunc scopum, quamlibet retentis veteribus armis, IVSTINIANVS affecutus erat, quod et *initio Nou. prodit*, et *cap. 3. ibi: hoc factu et subtiliter obseruato, licentia penitus nulli dabitur, neque ciuitates inhabitantibus priuatis, neque villas incolentibus rusticis, armis uti aduersus alteros.* Et haec de IVSTINIANI mente.

An LL. antiquioribus?

II. De vetustiore ante IVSTINIANI Nouellam iure inquiremus, idque distincte: Et quantum ad *deuictas gentes*, vel etiam rebellantes ciuitatis attinet: Romani temeritatem esse iudicabant, si ipsis arma tractare permitteretur. TACIT. 3. *Histor. 6.* Sic IVL. SACROVIR Viennenses in Galliis rebellantes armis publice multauit. IDEM 1. *Histor. 66.* Et omnino solenne hoc, dedere Imperatorem, arma ponere victo: iubere. LIV. *lib. 4. cap. 10.* Hinc Faleriorum Legati ita perorant. *Mittite, aiunt, qui arma, qui obsides, qui urbem potentibus portis accipiant.* IDEM *lib. 5. cap. 27. et lib. 21. cap. 57.* *Postero die deditione facta Viennenses praesidia intra moenia acceperunt, iussique arma tradere, cum dicto paruissent, signum repente victoribus datur, ut tanquam vi captam urbem diriperent.* Ita PVB. OSTORIVS, Britanniae Propraetor, caesis, qui se in agros sociorum effuderant, hostibus, iis, quos confectatus erat e disiectis, ne rursus conglobarentur, infensaque et infida pax non Duci, non militi requiem permitteret, arma suspectis detraxit, apud TACIT. 12. *Annal 31.* Sic et Caesar omnibus armis ex oppidis collatis, deuictos in fidem recipere solitus fuit, uti scribit ipse *lib. 2 de bell. Gallico.* Ita alii quoque victores procedere consueuerant. Quanquam aliquando singularibus ex causis arma deuictis relicta legamus. Quam in rem aliquot exempla de Trans-Alpinis Gallis et Liguribus, quibus arma a militiae Imperatoribus detracta Senatus reddi iussit, ex LIVIO decerpta, videri possunt apud AMIRAT. *lib. 1. dissertat. politic. discurs. 5. p. m. 35.* Nam ex prudenti et arcano consilio Herenni Pontii Samnitum, si sine noxia victus dimittatur, fides aeternaque ob beneficii memoriam pax: Arma adimere iure belli quidem licet, sed ademptio ista cum iniuriae speciem contineat, nec amicos aut fidos parit, nec metum hostilitatis tollit. vide LIV. *lib. 9. cap. 3.*

III. Eandem legem et necessitatem abstinendi ab armis, Romanis etiam aliquando inpositam legimus. Nam et olim in foedere, quod post

post expulsos Reges cum Pop. Rom. icit Porfenna, nominatim comprehensum fuit, ne ferro, nisi in agricultura quis vteretur, ne stilo quidem scribendi causa. PLIN. *lib. 24. cap. 14.* Quod Isidorus ita explicat, iussisse Romanos, ne ferreum graphium quis haberet, ARNISAEVUS *de iure Maiest. lib. 2. cap. 1.* Hinc, quoties exercitus Romanis ducendus, aut armilultrium instituendum erat, arma ex rupe Tarpeia desumebantur. Vnde illud LVCANI: *Iam Rupes Tarpeia sonat.* Sic apud LIVIUM habetur *lib. 22. cap. 52.* Octo millia iuuenum validorum in magno metu victoris Annibalis ex seruitiis emta, prius sciscitatos singulatim, vellente militare; publice armatos fuisse. Et apud EVND. *lib. 3. cap. 15.* In tumultu seruorum alternas voces, ad arma, et, hostes in vrbe sunt, auditas: Consules et armare plebem et inermem pati timuisse: Deditse tamen arma, non vulgo; tantum vt in incerto hoste praetudium satis fidum ad omnia esset. Et apud TACIT. I. *Hist. 34.* Galbam aperte armamentarium iussisse, *v. cap. 80. eiusd. lib.* Latinis idem obseruandum fuisse, vel ex illo LIVII *lib. 2. cap. 30.* apparet, vbi in haec verba scribit: Aequi Latinum agrum inuaserant, Oratores Latinorum a Senatu petebant, vt aut subsidium mitterent, aut seipfos tuendorum finium causa arma capere sinerent. Tutius visum est, defendi inermes Latinos, quam pati retractare arma.

• IV. Ex quibus tamen omnibus non recte inferas, possidere arma nulli licuisse. Cum illud tantum recte colligatur, his, quibus arma non suppeterent, in subitaneo et promiscuo delectu arma publice data. Nec iuuant alia loca, quae docent, Romanos Magistratus modo in ipsa vrbe Roma, modo in prouinciis nonnullis edixisse: *Ne telum quis haberet*, seu, *ne vllum telum in vrbe vel prouincia esset*, apud CIC. in 5. *Verr. VAL. MAX. lib. 6. cap. 3.* PLIN. *lib. 34. c. 14.* de quo et MENOCH. et T. DECIANVS *ad. locis.* Nam et hoc extra ordinem ob tumultum vel atrocitiam ita fancitum fuit.

An L. Iulia. Ita volunt nonnulli,

V. Vt ad *L. Iuliam* propius descendamus, cuius autorem existimamus esse Iul. Caesarem, (et si Hotomannus ab Augusto latam contendat: Quod sane SVETONIVS in recensione illa legum, quas de integro AVGVSTYS sanxit *cap. 34. in eius vita*, non praetermississet: qui idem IVL. CAESAREM poenas facinorum iam ante auxisse testatur in IVLIO *cap. 42.*) v. VVLTEL. et GIPHAN. *ad. §. 8. Inst. de publ. ind.*

Putet igitur quis non verisimile, ut IVL. CAESAR. inter minus fida et infirma Imperii per vim occupati (PLVTARCH. in *Caesare*. FLOR. lib. 4. DIO. lib. 44. OROS. lib. 6.) fundamenta, populo arma in manibus reliquerit, non ignarus, cuncta in illorum manu esse, quibus arma sint, v. *infra cap.* 13. Verum neque probabile est, hoc medio IVLIVM CAESAREM vsu fuisse; neque hoc ad rem facit: Abunde enim IVL. CAESAR ea ratione publicae salutis cauit, quam L. sua Iulia complexus est, ne quisquam cum telo ambulare possit.

Quorum Rationes

VI. Isthaec L. Iulia coërectur initio, qui arma, tela, domi suae, agrone in villa, praeter vsu venationis vel itineris vel navigationis coëgerit. *l. 1. D. ad l. Iul. de vi publ.* Excipiuntur in *l. 2.* arma, quae quis promereri causa habuerit, quaeque illi in hereditate obuenerint: Iterum *l. 3. §. 1.* eiusdem legis Iuliae reus fit, qui pubes cum telo in publico fuerit. Hic iam olim ACCVRSIVS verbum *cogere*, quod in *d. l. 1.* reperitur, interpretatus est, per *habere*: (quod ipsi haud dubie suggestit exceptio in *l. 2. eo.* quae debet esse de regula, per *vulgata*.) Hoc sensu, ut ea vox ad conatum satagentis arma contra prohibitionem habere et possidere trahatur; adeoque velut is, qui vel vnum saltem hominem ad facinus aliquod patrandum habet, homines coëgisse dicitur in *l. Praetor ait. 2. §. sed etsi vnus 6. D. de vi bon. rapt.* Ita etiam, qui vel vnum duntaxat gladium praeter ius et vas conquisiuit, arma coëgisse intelligatur.

VII. Eandem sententiam reperias apud MENOCHIVM, *d. cas. 394. num. 28. et 37.* Scilicet quod primo L. Iuliae capite prohibeatur, ne quis arma domi habeat, etsi vna nullam inferat; quasi tunc lex pro eo id habeat, ac si illa meditatione reposita sint, ut iis noceri possit: Idemque per hunc ipsum textum in Curia Archiepiscopali Neapolitana decisum fuisse: inuenias apud I. ALOIS. RICCIUM *decis. d. curiae 209. num. 2.* nempe ut poena imposita arma gerentibus obtinere etiam debeat in detinentibus ea domi.

VIII. Denique et huic explicationi congruere videatur, *d. l. vn. C. ut armor. vsus.* Si et ibi *arma mouere*, pro habere, accipiatur: argumento alterius legis, quae in Codice Theodosiano *lib. 15. tit. 15. extat et d. legi vn.* iungenda est: Cuius cum inscriptio sit, *de equorum vsu*, veluti huius *l. vn. de armorum vsu*: textus tamen *de licentia habendi equorum pecoris*, conceptus est: Rubrum et nigrum ita se habet: *L. 2. C. Theod. quib.*

quib. equor. usus concessus est aut denegatus. Impp. VALENTINIANVS et VALENS ad Bileforum Conf. Campaniae. post alia: *Vt omnes latronum conatus debilitati conquiescant, pastoribus rei nostrae, id est, lanigerarum ovium, pecudumque custodibus, nec non etiam procuratoribus et actoribus Senatorum habendi equini pecoris licentiam denegamus, sub hac videlicet interminatione, ut ii, qui nostrae mansuetudinis statuta temptauerint violare, actorum supplicia tolerare cogantur.* Dat. III. Non Octob. Altino, Diuo Iouiano et Varroniano COSS. Ex quo textu iuncta nostra l. vn. hoc colligatur, Impp. cum depraedationes tollere vellent, quam exercebant latrones, et armati, ut inermes facilius opprimerent, et equites, ut facilius dilaberentur: vtrumque hac Constitutione prohibuisse, nempe, ut nulli priuato ipsis inscijs et inconsultis arma aut equos habere liceret.

Refutatae.

IX. Haec et similia forte quis opponat, verum ipsa veritas contra stat: Etenim l. 1. ad l. Iul. de vi publ. nequaquam de simplici possessione; sed de coactione plurium et variorum armorum ad machinandum vim aliquam, prout verba sonant, accipiendam esse, complurima docent. Primum vox *cogendi*, quae vtiq. non simplicem et nudam aliquam armorum possessionem indicat; verum plurium collectionem, confectionem, cumulum. Quod etiam recte animaduertit DECIANVS tract. crimin. lib. 8. c. 2. qui ideo inaduertentiae dicam ACCURSIO aliisque scribit: iterumque cap. 3. num. 5. verbum *cogere* Ictum non sine mysterio vsurpare maluisse, ait, quam habere. Secundo tres exceptiones, quae subiiciuntur, id manifestissime comprobant: Dicitur enim cogere licere arma in triplicem usum, venationis, itineris, nauigationis: Vnde sequitur arma habere, possidere per L. Iuliam licuisse. Idem ex inductione l. 2. patefieret. Tertio, quorum prohibitio recensita, sup. th. 6. l. 3. §. 1. nisi saltem habere telum licuisset?

X. Neque quicquam contra facit, quod affertur ex Edicto de Vi bonorum raptorum, siue quia in eo Edicto non tam numerus coactorum respicitur, quam conatus, GOEDD. ad l. 40. de V. S. et conatus ibi non est arma possidere, sed vi damnum facere: siue quia mens et intentio Praetoris vel in vno coacto et sic collectiuum hoc *familiae*, in singulari verificatur, et ex eadem Praetoris mente, etsi solus damnum dederit, verba Edicti non deficiunt, d. l. 2. §. 7. ff. vi bon. rapt. Neque

nouum est, vt collectiua haec substantiua, vel in vno verificentur ex mente Legis aut testatoris.

XI. Quod ad MENOCHIVM attinet; is sibi ipsi non constat, dum eodem casu, num. 86. diserte, sed oscitanter, si superiora compares, scribit in haec verba: Arma in domo habere Lex Iulia non prohibet. Pari constantia RICCIUS in *pr. d. decis.* fatetur, ex iuris dispositione; per *d. l. i.* posse teneri arma domi, et id magistraliter DECIANVM ostendere.

XII. Restat *l. vn. C. vt armor. vsus*: sed vocem *mouere*, pro *vti*, positam ibi esse, paulo post declarabitur. Neque contrarium ex coniunctione *l. vn. C. Theod. de equorum vsu*, evincitur: Verum enim est, equorum possessionem et vltum ibi pro eodem accipi oportere: Nam cum equorum vsus itineris per Campaniam causa prohibeatur, nullus autem equorum ibi vsus fuerit, nisi itineris gratia (in vrbibus enim equis sedere non licebat, et bubus non equis Campania exercebatur) sane vi ipsa, habendi equini.pecoris licentia denegatur, cum nullus alius quam itineris causa vsus eorum esse posset: Sed non ideo e conuerso, cum armis vti, seu ea gestare propter atrocitiam prohibeatur, eorum possessio etiam sublata fuit. Nam et publice interest, arma propter ingruentem de subito necessitatem ciues et subditos in parato habere.

Conclusio disputationis de Iure Ciuili, et qui et quibus hodie armorum possessionem praebere soleant.

XIII. Manet ergo hoc, neque L Iulia, neque VALENTINIANI aut IVSTINIANI Constitutionibus armorum possessionem fuisse subditis ademptam: quae et hodie omnibus regulariter patet, DECIAN. *d. l. cap. 3. num. 55.* Nonmanquam tamen ex vsu Reipubl. ad armorum ademptionem deueniri solet, vbi tumultus metuendus, aut sublesta est aliquorum fides; quod et posse Magistratum, ex dictis *cap. i.* manifestum est. Ita, praeter ea, quae de Romanis supra *hoc cap.* adducta sunt, de Xerxe scribit PLVTARCHVS in *apophth.* quod iratus Babylonis ob defectionem, cum eos in potestatem suam iterum redegisset, armorum gestationem interdixit, iusseritque eos fidibus et fistulis canere, lenocinium et cauponam exercere, ac tunicas gestare sinuosas. Et ne toti simus in antiquis, ita adempta est armorum possessio Senensibus, THVAN. *Ab. 15. hystor.* Genuensibus GVICCIARD. *lib. 7.* Florentinis,

nis, MACHIAVELL. *II. hystor. Florent.* Montispeffulanis tempore CAROLI V., Francorum Regis, GVAGVIN. *in eius vit.* Gandauensibus, SLEIDAN. *lib. 13. hystor.* Et quid non tota die fit?

Quomodo.

XIV. Oportet autem armorum possessionem expresse interdici: Neutiquam enim assentiendum est iis, qui statuunt, armorum vsu interdicto, et possessionem prohibitam intelligi; siquidem haec, vsus armorum, de quo nunc agimus, et possessio nuda separata sunt, a quibus nulla est illatio; per vulgata. vide DECIAN. *d. lib. 8. cap. 2. et cap. 3. num. 5.* Ut adeo Senatores Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae potius ad Constitutionem Pontificum et ad eorum interpretationem extensiuam authenticamque (de qua vide eleganter REINKING *lib. 2. class. 2. cap. 11. de regim. secul. et ecclesiast.*) quam ad ius civile per interpretationem vsualem aut doctrinalem respexisse videantur, cum contrarium pronunciarunt, *d. decis. Neapol. 209.* Nam Pius IV. constituit, ut detinentes archibufeta domi suae eadem poena afficiantur, qua portantes: Quod idem Pius V. ad possidentes pugiones, extendit.

Quo effectus.

XV. Vbi ita expresse cautum vel declaratum est, (nam alia lex est constitutiva, quae ius nouum constituit; alia declarativa, quae ius vetus declarat, WEDDRINGTON *de iuram. fidel. cap. 1. sect. 1. num. 4.*) ne arma habere vel possidere liceat, duo praecipue a poena prohibita possessionis liberare querunt volunt Dd. (1.) Ut non intelligantur ea arma, quae quis iure pignoris, non dominii detinet. BOLOGNET. *conf. 25. num. 23.* RICCIUS *d. l. (2.)* Et illum excusandum putant, qui paruo tempore arma prohibita domi suae tenuisset. BERTAZ. *conf. 217. num. 2.* RICCIUS *ibid.*

¶ Verum enimvero, vbi Magistratus simpliciter ciues exarmatos esse vult, nullo obtentu, ne quidem promeritū aut hereditatis, arma detineri possunt; hae enim et similes causae excusant quidem a praesumptione doli, ne machinandi quid contra Kemp. aut Ciues animo ea quis detinere dici possit, arg. *l. 2. ad l. Iul. de vi publ.* non autem ut possessio, cuius exemplum metuendum est, omnino iustificetur.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

DE GESTATIONE ARMORVM IVRE CIVILI
 PROHIBITA: SVPER QVO VALENTINIANI
 CONSTITVTIO, L. VN. C. VT ARMOR.
 VSVS, ETC. EXPENDITVR.

I. **D**ictum est superiori capite, arma possidere, vt olim, ita et hodie regulariter licere (nili quatenus id expresse prohibitum Constitutionibus aut Edictis) vnde necessario sequitur, quia armorum vtilitas in eorum vsu et gestatione aliqua consistit, et vti iisdem, saltem quoad tenus, licuisse.

Qualis vsus hic intelligatur.

II. Vfus armorum est vel simplex, vel ad alium actum licitum vel illicitum directus: vt si quis bellum tumultumue armis concitet, aut homicidium, vim, rapinam iis committat: quae omnia cum peculiaria delicta constituunt, merito ad suum quaeque locum remittuntur. P. GREGOR. *Syntagm. lib. 3. cap. 26. num. 9.* De simplici ergo armorum vsu, quae in sola gestatione eorum absoluitur, deinceps aliqua commentabimur, ita tamen, vt de recto eorum vsu, qui fere dependet a iure arma gestandi, consequenter quaedam simus annotaturi.

III. Et in ipsa quidem vrbe telo vti L. Iulia (et deinceps semper) vetitum fuit, *d. l. 3. §. 1. D. de l. Iul. de vt publ.* Neque de eo quisquam dubitat: sed de vsu ad itinera peragenda, maior est quaestio: in ea vero definienda sequemur ductum saepius laudatae *l. vn. C. vt armorum vsus*, quae ipsa cum (quaequid alii dicant) in hoc vno negotio consumatur, tractationem vberiorefflagitat.

Resolutio l. vn. Autores huius legis sunt duo fratres Imperii consortes.

IV. Spectabimus autem primo omnium analysin huius legis in partibus externis et internis. Externas dico, titulum seu inscriptionem et hypographen seu subscriptionem. Epigraphe est: *VALENTINIANVS et VALENS A. A. ad Buleph. Consul. Campaniae.* Quibus verbis continentur nomina, tum Imp. qui rescribunt, tum eius, ad quem rescribitur. Quantum ad Imp. Haec lex, inquit LVCAS de PENNA *pr. h.* non est IVSTINIANI; quod ipsum innuit vel diffusus

fusus et Asiaticus IVSTINIANI stilius, cum textus hic Laconica breui loquentia conceptus sit: etsi a compilatoribus ex prolixiore constitutione, cuius etiamnum in Cod. Theodosiano altera pars extat, superiore capite a nobis relata, sumpta sit. Sunt autem VALENTINIANVS et VALENS ambo AA. (Oportet ergo MENOCH. d. *caf.* 394. *num.* 22. memoria lapsum esse, cum THEODOSIVM autorem huius legis facit; aut omnes leges, quae in Cod. Theodof. reperiuntur, ex eius nomine *παχυλῶς* accipere.) § VALENTINIANVS, vt hoc obiter notem, anno 364. iuxta vulgatam, vel 366. secundum veriozem annum computationem, HELVI. in *System. Chronol.* a militibus post obitum IOVIANI Imp. qui septem duntaxat menses regnauerat, Augustus declaratus est, inde Constantinopolim statim profectus fratrem VALENTEM Imperii consortem fecit, Orientem illi assignans, Occidentem sibi referuans; Procopio, qui et ipse Imperium affectabat; profligato et ab vtroque Imperio excluso Post triennii decursum, praeterpropter, apud *Ambianos* in Gallia graui morbo iactatus, quosdam occulta de successione consilia agitare cognouit, quare statim, vt conualuit, filium etiam GRATIANVM Augustali dignitate ornauit. Sub horum Imperio anno 367. ingens Imperio Romano euenit mutatio, Gothis et Alanis in Thraciam irrumpentibus, (qui tamen VALENTINIANI prouisione Thracia excefferunt) quemadmodum et Parthi e Syria expulsi, Germani pacati, religio quoque Christiana per celebres Ecclesiae Doctores annos duodecim propagata fuit. Tandem ira vehementiori percussus, apoplexia periit. § VALENS Imperii quidem Prouincias indemnes custodiuit, tributorum onera non auxit, sed minuit, furibus et in peculatu deprehensis iudicibus inimicus, asper et vehemens, nec sub alio principe hoc in negotio melius secum actum meminit Oriens. AMMIAN. MARCELLIN. *lib.* 31. Nimum tamen Arrianorum dogmati, seductus ab vxore, adhaesit, et e contrario recte sentientes insectatus est. Gothos tandem temere aggressus ab iis praelio victus, et in quodam praedio iuxta Hadrianopolim, quod Gothi, ignorantes Imperatorem in tam vili casula latere, accenderant, misere periit. Inter alios IORNANDES *de reb. Goth. cap.* 26.

Qua ratione quaeritur, an et tum temporis Imperium fuerit Monarchicum?

V. Occasione interim huius inscriptionis quaeri potest, an et tum Imperii status manserit Monarchicus, cum Imperatores Imperii consortes sibi adsciscerent, velut iam pridem ante istos Impp. M. AV-

G

RELIVS

RELIVS ANTONINVS, L. ANTONINVM VERVM (qui primo fuerunt simul Augusti, IVL. CAPITOLIN. in M. ANTONINO) OPILIVS MACRINVS filium DIADVMENVM, VALERIANVS GALLIENVM, DIOCLETIANVS MAXIMIANVM, uterque CONSTANTIVM et GALERIVM, CONSTANTIVS IVLIANVM: Post eos, VALENTINIANVS iunior THEODOSIVM, THEODOSIVS ARCADIVM etc. vide P. GREG. lib. 25. de Rep. cap. vn. num. 7. Quandoquidem contra Monarchiam Romanam, et hoc argumentum BODINVS detorquet, 2 de Rep. 2. num. 188. ibi: Illud fixum teneamus, nec *Monarchiam* dici, vbi penes duos Imperii Maiestas est (quam in rem etymologiam vocis vrget in *Method histor cap. 7.*) nec eo statu si dissident, Imperium consistere posse. Iunge lib. 6. cap. 5. num. 734. Pro qua sententia vide ALTHVS. cap. vlt. Polit. mun. 54. Sed videtur BODINVS (1) committere ignorantiam elenchi: Per Monarchiam siquidem proprie intelligitur Imperium in mundo summum a Daniele praefiguratum, quod DEVS prae caeteris potentia instruxit, dignitateque ornauit, vt haec ad illud respiciant. Vide CHRISTOPH. HELVICI de quat. summ. Imper. th. 10. et seqq. (2) Plures imperant vel pro diuiso, vel pro indiuiso, vt sic dicam, hoc est, vel tanquam plures, vel pro vno. Priori casu est Aristocratia: Posteriori nihilominus Monarchia manet: Namque intentio Monarchae in partes curarum aliquem adfiscientis apprime spectanda est. Quam ad rem vel maxime facit formula conuentionis inter Ludouicum V. Bauarum (non Ludouicum IV. vti errore quodam apud DAN. OTTON. cap. 7. iur. publ. p. m. 99. scriptum legitur, is enim plus quadragenis annis retro vixit) et FRIDERICVM PVLCHRVM, post diuturna bella interposita, vt communi Regis titulo FRIDERICVS frueretur, de caetero se ab Imperio abstineret, ibi: *Wir Ludevig und Fridrich bekennen, das wir uns mit einander verbunden haben ewiglich, das wir das Römische Reich, darzu wir beide erwehlet und geweiht seind, mit allen seinen Würden etc. und was es hat und darzu gehören, über alle die Welt, mit einander, gleich als eine Person, besitzen sollen und wollen etc.* CVSPIN. in Austria. (3) Adde, quod isti Collegae distribuebant inter se Imperii Prouincias, vt VALENTINIANVM et VALENTEM fecisse iam dixi, et plerumque longe a se inuicem aberant, vt Aristocratica forma consilium capere non possent. KECKERM. lib. 2. Polit. cap. 2.

Is, ad quem destinatur, est Consularis.

VI. Nomen illius, ad quem hoc rescriptum mittitur, est *Bulephorus*.

phorus, Consularis Campaniae. Vbi repetendum est, quod AVGVSTVS occupato Imperio Prouincias, quas annuis Magistratum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, suae curae referauerit; caeteras sub Senatu et populo relictas, Pro-Consulibus sortito permiserit. SVETON. in OCTAVIO cap. 47. Quae sub Senatu relinquebantur, Consulares; quae sub Imp. erant, Proconsulares dictas fuisse scribit POMPON. LAETVS de Magistr. Rom. cap. 23. Quod a vero alienum videri possit, cum ab initio in has Praefes, in illos Proconsul missus fuerit. Vtique postea, prouinciis ad vnum Principem pertractis, differentia ea fuit, vt in maioris momenti prouincias, Proconsules mitterentur: in minores, Praefides, Praetores, Consulares. Hinc et prouinciae consulares dictae, quae a Consulari, id est eo, qui Ex-Consule esset, regerentur. IAN. GVLIELM. de Magistr. Rom. cap. 24. Qualis etiam haec prouincia Campania fuit, a Consulari, v. l. vn. pr. C. vt omn. iud. tam. ciu. etc. Bulephoro gubernata.

VII. *Campania*, cuius Consulari haec lex inscribitur, et ad quem proprie illa armorum interdictio dirigitur, iuxta Samnites Hirpinosque ad mare inferum sita est, hodie *terra di Lavoro*. Felix et beata regio: in qua ideo Liberi Patris cum Cerere certamen fingebant, PHIL. CLYVER. lib. 3. *introducitur. Geograph. cap. 29. pr.* et secessibus amoenis apta, vnde et secreta Campaniae vocat, TACIT. 3. *Histor. 63.* beatosque Campaniae sinus, *ib. cap. 66.* et Campaniae amoena praedicat SYMMACHVS, horum ferme temporum scriptor.

Locus,

VIII. *Subscriptio* continet locum et tempus. Locus est *Altinum* in prouincia Venetiarum, vt docet VICTOR SCHOTTI cap. 16. et Tabula Peutingeriana, vbi tum VALENTINIANVS Senior, huius constitutionis autor, consistebat: Quare variae ibidem ab eo Constitutiones hac tempestate promulgatae, quae Codice Theodosiano potissimum occurrunt, vt l. 1. 2. *quib. et quor. usus. l. 16. quorum appellat. l. vn. de naut. Tyberin. l. 7. de pistori. l. 7. de poen.*

Et tempus, ex quo rescriptum.

IX. *Tempus* est tum mensis et diei, tum anni. Mensis est III. Non. Octobr. de quo die memorabile est, quod apud Romanos, gentiles adhuc, festus is esset, vt nihil in Republ. nisi quod vltima necessitas

admonuisset, administraretur. v. MACROB. *lib. 1. Saturnal. cap. 19.* Annos a Magistratu Consulium olim numeratos, notum est, quod inter alia pristinae autoritatis simulacra sub Imp. etiam huic Magistratui relictum. v. *l. si qua 4. C. de diuers. rescript. et ibid. Dn. GODOFR.* Et quanquam CAESAR, teste DIONE, *lib. 43.* Consulatus tempus annum et regulare turbauerit, vt ad menses et dies Consules fierent: Illud tamen interim custoditum est, vt ab illorum nomine anni notarentur, qui sub initium anni Consules fuerant, nullo habito respectu ad officii durationem. Hinc distinctio illa Consulium in Ordinarios et Suffectos: vsque dum CONSTANTINVS Consulatum denuo annum reddidit, vti quidam censent. v. TVRNER. 5. *aduers. 50.* LIPS. *de Magistratib. Roman. cap. 9.* Ex quibus intelligere licet, cur D. IOVIANVS Imp. qui iam tum vita decesserat, et VALENTINIANO locum reliquerat, per dicta supra, hic inter Consules referatur: Obiter etiam illud considerare fas est: quam recte *l. si quis 5. C. de Episcop. et Cler. IOVIANO* tribuatur, cum hac subscriptione: *Gratiano Augusto tertium, et Merobaude Consulibus*; cum et GRATIANVS iste demum post mortuum IOVIANVM primum Consul factus fuerit: Et Merobaudes non tertium, sed quartum Consul numeretur. Confer *l. singularium 8. C. de aedific. priuat.*

Sententia huius legis est de armorum gestatione.

X. Nunc partes internas videamus, prohibitionem sc. ipsam eiusque determinationem.

Prohibitio est: *Nulli tribuendam esse copiam armorum mouendam.* Arma mouentur multis modis, inquit LVC. de PENNA *hic num. 4.* bellum gerendo, pugnam seu praelium agendo, seditionem aut tumultum, vim aut violentiam, aut aliud crimen committendo. Quod, vtut absolute dictum, nihil absurdi contineat, cum nihil frequentius sit apud autores, quam arma dicere pro bello, vide dicta supra in *protheor.* Attamen hoc loco bellum tumultumue conecitare, militesue congregare neutiquam significari contendimus, vtcunque communiter Dd. eo sensu textum hunc allegent: quod potius per consequentiam, quam directo fieri, sequentia docebunt.

XI. Nam (1) quod ANT. FABER 3. *coniect. 17.* scribit; faepissime in Legibus Codicis id euenire, vt multa supplenda sint, quae colligi

ligi ex ipsis verbis non possint, quod ad casus propositos ea rescripta accommodabantur, et superfluum habebatur in ipso rescripto id addere, quod ex facte proponebatur: quod ipsum a plerisque non obseruatum, fecisse, et etiamnum facere, vt infinitae leges Codicis, alioquin faciles, propemodum inexplicabiles existimentur: Id etiam huic legi pene accidisse videtur. Cum enim Constitutiones in Codicem relatae definiant quaestiones ex media vita quotidiana sumtas, prout quaeque res et causa vel supplicationibus subditorum, *l. leges 3. l. si Imperialis fin. C. de Legib. vel suggestionem iudicum aut Magistratum, d. l. leges 3. et l. cum de nouo, pen C. eod.* Romanis Caesaribus, vel potius sapientissimo eius consilio, quod ex doctissimis ICTis constabat, et nomine autoritateque illius ius reddebat, LAMPRID. *in vit. ALEX. SEVERI* diiudicanda est oblata. WESENBECK. *in praesat. Oeconom. Cod.* Verisimile videtur in sp. huius leg. *Bulephorum*, cum nonnulli armorum vsurpationem, vel de facto apprehenderent, vel sibi tribui peterent (quemadmodum ingenitam esse Campanis superbiam, LIVIVS *lib. 9. cap. 6.* testatur; vnde et Campana superbia, vti ex ERASMO *in Adag.* ad eum LIVII locum annotat GODELEVAEVS, et Campani luxuria et superbia clari dicuntur LIV. *lib. 7. cap. 31.*) Imperatorem consuluisse, num hanc ipsis licentiam tribuere deberet? Eoque facere videtur *lex vlt. in fin. ibi: cum hoc ad implendum eorum desiderium. C. de praepos. sac. cubicul. lib. 12.* Quanquam minus liquet, vtrum ea lex ad *ἔμφροσιον* pertineat, vt CUIACIVS putauit, an ad cinguli et insignium dignitatis gestationem, quod GL. et BALDVS monent, de quo adhuc *infra cap. 8.*

XII. Ex hac istius rescripti causa sequitur, absurdum esse praesupponere, aliquem facultatem petiisse bellum mouendi, aut tumultum excitandi, ridiculusque foret iudex, quem cum ingenio requirit IC. *in l. nequicquam 9. §. circa advocatos 2. De offic. Procons.* adeo iuris publici ignarus, vt quae facta citra Maiestatis laesionem perpetrari non possunt, *l. lex XII. Tabl. 3. ff. ad l. lul. Maiest.* licita efficere voluerit, cum scire debuerit, supremi Principis autoritatem ad arma et rixas procedere non pati hos, quos iurisdictione sua potest compescere, *l. si cuius. 13. §. sed si 3. vers. aequissimum. D. de vsufr.* Reliquum ergo fuerit, vt hic intelligatur petita facultas arma gestandi, vel honestatis et meritorum, vel publicae vtilitatis aut etiam priuatae, in tot grassatorum frequentia, obtentu. Quod si quis malit: Impp. in ingressu Imperii sui vltro ea de re edixisse, *arg. Nou. 17. in pr.* licet id verba illa, *nobis insciis*, item

copia tribuatur, quae omnino ad praecedentem aliquam circumstantiam se referunt, vix patiantur: Tamen nec eo sensu bellum aut motus poterunt significata intelligi, cum ex officio competat magistratui prouinciali, curare, vt pacata et quieta sit prouincia, quam regit; quod haud difficile obtinebit, si solícite agat, vt malis hominibus prouincia careat. *l. congruit. 13. D. de off. praesid.* quod iam antea in mandatis Principum fuit. *l. praesfes prouinciae. 3. D. eod.*

XIII. Ex verbis quoque determinationis (de qua paulo post) nobis insciis atque inconsultis ad ipsum (2) conficitur. Nam alioquin sequeretur, Principem quandoque consenturum, vt bellum quis moueat aut tumultum concitet: nisi velimus ea verba otiosa efficere et superuacua. Quorum illud est contra *d. l. Iuliam Maiestatis*, hoc contra alteram de vi publica, nec vnquam Princeps id permissurus creditur. *d. l. 13. D. de vsufr. ZAS. ad l. 1. num. 4. ff. de O. N. nunc.* (3) Nec plane inutilia debent esse verba, *copia tribuatur*, quod fieret, si pro prohibitione motuum; et non potius pro facultate arma gestandi tribuenda fumantur. (4) Item illa particula, *quorumlibet*, ostendit materialiter, non metonymice arma hic sumi. (5) Et quod hoc loco in specie ad Proconsulem Campaniae rescripserunt Imp. illud idem Imp. IVSTINIANVS in generalibus illis mandatis Rectorum Prouinciarum *Nou. 17. cap. fin.* exprimit, armis vti, nulli non militanti permittendum esse.

XIV. Vfus ergo armorum hic itineris causa intelligendus est simplex, per praedicta: quod vel rubrica (6), sub qua haec lex posita, ostendit: sed neque desunt similia loca, vbi verbum *mouere*, pro *vti*, vsurpatur, vti iam ante CVIACIVS et Dn. GODOFREDVS annotarunt. Quo fere sensu miles *l. 7. C. Th. de cursu publ. cursus. l. 2. C. Th. de cur. l. 11. C. Theod. de cursu publ. et actio, l. 4. C. de praepos. sac. cubic. l. 3. pr. C. de quadr. praescript. moueri dicitur*: Et (7) finis huius legis hanc interpretationem egregie firmat: nempe enim armorum vsu ideo interdicit VALENTINIANVS hac lege, vt latronum conatus debilitati conuiescant, vt disertè dicitur in ea *l. vn. quib. equorum vsus*, quae huic coniungenda est: qui certe debilitantur armorum gestatione omnibus interdicta.

XV. Nec (8) ex veteribus Doctorum suffragia desunt. ANCHORANI *cons. 429.* HIERON. BVTICELLI in *l. 1. n. 102. D. de V. O.*

V. O. BART. qui tale huius legis summarium confecit: *Nulli licere arma portare sine licentia Principis.* Quod Graeci eadem sententia ita reddiderunt: *ἐν ἕξῳ ἰδιώταις ἀνθρώποις ὀπλοφορεῖν.*

XVI. Diuertit ab hac explicacione, et nominatim a CVIACIO, DECIANVS *supra citato loco*, et eod. lib. 8. cap. 3. num. 5. praetendens (1) *mouere* arma, pro, *portare*, inconuenienter reddi, praesertim cum (2) rubrica de vsu in specie loquatur: Cui succenturiatur P. THEODOR. *colleg. crimin. d. disp. 6. th. 7. lit. G.* quod *in l. 4. et ult. C. de cursu publ.* (3) *mouere* equum proprie ad motum et agitationem equi pertineat; *portare* autem arma non sit ea *mouere*. Veruntamen haec non conuincunt absurditatis interpretationem nostram, siue vim vocis, siue rem ipsam respicias. Nam qui non tantum arma possidere, sed eadem etiam circumgestare desiderat; illi certe, ne arma moueat, recte interdicitur. Et iam supra stabilitum est, quod vsus armorum simplex et nudus in hac materia intelligatur, non violentus.

XVII. Stat ergo immota explicatio nostra, quod gestandorum armorum licentiam promiscue omnibus ademerit VALENTINIANVS, ita, vt ne in itinere quidem per prouinciam ea portare liceret, (nam in vrbibus telo vti semper vetitum fuit, vt dixi) neue Index cui eorum gestandorum copiam tribueret. Quod et deinceps stetit, ex AMMIANO MARCELLINO et variis constitutionibus colligere licet. Haec de propositione ipsa.

XVIII. Determinatio prohibitionis istius est in illis verbis: *Nobis insciis atque inconsultis*: quam ipsam et alibi suis Edictis adiiciunt isti Impp. vt in *l. nullus 4. C. ad l. Iul. Maiest.* porro particulam atque hic non copulatiuam, sed correctiuam esse, et pro, *imo*, poni, notat LVC. de PENNA *ad h. l. vn. num. 1.* Vnde inferunt Dd. a poena gestationi armorum illicitae praestituta, nudam principis scientiam non excusare, idem *ibid.* ANDR. de ISERN. *in c. 1. Hic finitur lex COR-*

RADI 2. F. 28. MENOCH. d. cas. 394. num. 27. sed expressum et speciale mandatum requiri, MOLIN. *in consuet. Paris.*

tit. 1. de mat. feud. §. 1. gl. 6. in
verb. mouant de luy.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

PENES QVOS SIT FACVLTA, ARMORVM IVS
ET GESTATIONEM TRIBVENDI.

I. **E**t haec quidem ita obtinuerunt in Imperio Romano, ante memoratam supra Regalium communicationem, circa armorum vsum securitatis gratia. Haecenus enim armorum vsum stetit ostendimus. Post eam vero factam non solum priuatis armorum habendorum copia facta est, quib. ad omnes casus parati essent; v. sup. cap. I. sed et prolixius quibusdam eorundem vel in ipsis vrbibus ornatus et dignitatis causa gestandorum licentia concessa est: Ita quidem vt, cum Magistratus primum in suis territoriis ostentandae potentiae; Vasalli itidem defensionis et muneris causa arma gestarent; personae autem hae dignitate prae reliquis essent conspicuae; alii etiam, qui extra potestatem dignitate quadam erant insignes, gladii gestationem, ceu dignitatis ornamentum, vsurpare coeperunt. Quibus ita praesuppositis, non absone huius iuris causam efficientem constituere possumus non solum Imperatorem, sed et Magistratus alios, qui superioritatem territorialem habent, imo ipsam consuetudinem, de qua infra suo loco.

Vsum armorum tribuit Imperator olim solus,

II. Ante translatum Imperii axioma in Germaniam, solus Imp. illam, de qua diximus, armorum gestandorum potestatem largiebatur, b. l. vn. ibi: *Nobis inscis atque inconsultis.* Vnde eo iure frustranea est dubitatio, quam mouet LVC. de PENNA b. num. 19. An Praefes Prouinciae olim etiam hanc licentiam concedere potuerit? Quod recte negat AFFLICHT. in cap. 1. §. si quis rusticus n. 18. lib. 2. F. 27. per Nou. 17. in fin. ibi: *Neque quenquam armis uti permittes, qui de numero militum non sit.* Vt sine causa dissentiat DECIAN. d. cap. 3. num. 58.

hodie Magistratus etiam alii.

III. Quod ad Magistratus modernos, cum et illi non cum Praefidibus, vt male HENNING. GOEDEN. conf. 39. num. 20. et 21. sed cum ipso potius Imperatore comparandi sint, WESENB. conf. 27. num. 28. et quasi Reges sint, quique omnia in suo territorio, quae Imp. in Imperio, possint, BALD. in l. donationes 26. C. de donat. int. vir. et uxor. et allegati supra cap. 1. si scilicet superioritatem territorialem, id est, ius

et

et potestatem summi post Imperatorem imperii et dominatus, vide CHRISTOPH. MINGIVM *de superiorit territor. th. 7.* habeant: hanc etiam facultatem ut ipsi libere usurpare, sic et aliis concedere possunt. Nam cum ex consequentia dictae superioritatis ius armorum generaliter sumtum, siue belli, eatenus habeant, ut militem cogere ad propria et aliorum salutem possint, secundum Constitutionem Imperii *de anno 1526. Recess. Imper. zu Speier §. Darauf. de anno 1548. 1555. 1570. etc. WARENMVND. ab EHRENBURG lib. 1. de foeder. cap. 2 num. 56.* itemque delectum agere, Recess. Imper. *de anno 1564. §. Ferner dieweil*, arma conuocare, cum scitu tamen Ducis Circularis *d. l. ut et Recess. Imper. zu Augspurg de anno 1566. §. Den Versickel, wiewohl auch in der Executions-Ordnung.* Vide eleganter THVAN. *lib. 1. histor. V-tique et, quod minus est, et iuri illi generali haud dubie inest, in ipsorum potestate erit.*

IV. Adde, quod hodie Imperii Duces, Marchiones, Landgraffi, Comites etc. bene meritos vasallos de certis castris vel mansis cum omnimoda iurisdictione subinfeudant ex inueterata quadam consuetudine, WESENB. *consil. 45. num. 36. COLER. de processib. execut. cap. 1. num. 127.* Tametsi olim solus Imp. de iurisdictione superiori et iure gladii inuestiret. LANDRECHT *lib. 5. art. 53. §. feudum seu iurisdictione feudalis.* Vnde et insignia haec potestatis et honorum haud dubie concedere possunt, argumento a signo ad rem signatam, de quo praeter Topographicos bene MASCARD. *conclus. 551.*

Non tamen pari cum effectu.

V. Vbi tamen *de Ciuitatibus* immediatis hoc adicere velim, eas quidem subditis suis in suo territorio gestandi armorum licentiam concedere posse, vsu et necessitate exigente; imo etiam *ornamenti causa*, citius rei exemplum capite sequenti adducetur: Aliquem autem dignitatis causa eiusmodi brabeio ornare velle, ut extra territorium etiam suum (praeter eos, qui de corpore Magistratus sunt, et per totum Imperium merito honorantur) gladium gestare, non obstante generali prohibitione eius loci, ex hoc priuilegio possit, consuetudini et rationi refragatur, *l. fin. D. de iurisdic.* Ut enim recte Dd. inter iura territorii realia et personalia distinguunt, CHRISTOPH. MING. et alleg. *d. th. 44.* quorum illa Ciuitates Imperiales quidem habent, haec vero non aequae, idem *q.* Ita, quin collatio huius *ornamenti* ad personalia non realia iura pertineat,

tineat, haud obscurum est. Hinc est, quod non solum Principes, quos nobilitare posse, etiam extra territorium suum, volunt, v. NOLDEN *de stat. nobil. th.* 18. et 19. Sed et Comites et Barones, qui nobilitandi facultatem non habent, huius tamen dignitatis conferendae potestatem usurpant, praefertim in ministris suis, quos armigerationis, vt sic dicam, capaces reddunt, *die sie wehrhaftig machen*, qua de re infra. Nam Baronatus seu *Herrschafft* intelligitur cum regali potestate seu dignitate, ROSENTHAL. *de feud. cap. 2. conclus. 1. num. 4.*

Quaestio.

¶ Sed num et Nobiles facultatem huius iuris concedendi, ad effectum dignitatis, habent? Quod ad Nobiles immediatos, Franconicos, Sueuicos et Rhenanos, cum et illi regulariter superioritatem territorialem, GAIL. 2. *obs. 62. num. 3.* et Regalia habeant, WESENB. *conf. 60. num. 3.* VVLTEL. 1. *F. 5. num. 7.* haud dubia affirmatio. Verum quod ad mediatos, eos ad plenissimum effectum eo iure quem ornare posse, non dixerim. Quanquam aliud sit, si necessitatis tempore subditos in armis esse iubeant.

VI. De *Ciuitatibus Municipalibus* exaudio, quod DECIAN. *tract. crimin. 3 num. 20.* scribit: Priores et Deputatos Ciuitatum non posse pro arbitrio statuere, quod quilibet possit portare arma, nisi causa adsit multum vrgens, quae tamen exprimi debeat, quia tale statutum sit contra leges Superiorum. Solet tamen quandoque huiusmodi Magistratibus mediatis talis etiam facultas concedi, vt ostendit statutum Academiae Patauinae, quod refert DECIAN. *d. l. num. 59.* quo Reктору Legistarum conceditur dandi licentiam armorum tribus suis sociis, et Rector Artistarum itidem potestatem habet tribus Collegis eam licentiam conferendi.

Quaestio.

VII. Qua occasione porro quaerit DECIAN. si vnus creetur Rector vtriusque Vniuersitatis, an tum licentiam pro sex dare possit vel pro tribus tantum? Et respondet, tenendum esse, quod sic: Qua ipsa responsione suspensum Lectorem diuinare vult, vt recte *Nobiliss. Dn. BREDERODIVS* annotauit. Putarim concursum duplicis potestatis non tollere alterutrius effectum. Concessione autem Superioris non opus esse existarim in iis Vniuersitatibus, vbi Rector merum imperium
habet,

habet, vt in Academia Parisiensi, Bononiensi, Pisana. COTHMAN. *respons. Acad.* 1. num. 135. Heidelbergensi, Ingolstadtiana, Tubingensi, Lipsiensi, DAN OTTO *de iur. publ. cap. 24. p. m. 500.* Confer HEIGI. *par. 2. quaest. 11.*

Prohibere autem gestationem omnes possunt.

VIII. Plane quantum ad prohibitionem gestationis armorum, domini castrorum, etiam superiorem recognoscentes, imo et ipsi Praetores ad regendas ciuitates missi, poenam arma portantibus imponere possunt, etiam praeter ius commune. Licet enim contra ius commune nihil possint statuere, possunt tamen ad confirmationem iuris communis aliquid addere. DECIAN. *d. lib. 8. cap. 3. num. 18.* Vbi ex communi consuetudine totius Italiae Proclamationes, fieri solere et Edicta per Rectores Ciuitatum, ne vllus sub tali vel tali poena arma portet, scribit *num. 19.* Et in summa, quilibet Magistratus, exigente Prouinciae, Reip. aut Ciuitatis suae vtilitate, gestationem prohibere queunt, tam generaliter, quam particulariter ex causa.

CAPVT SEXTVM.

QVIBVS ARMORVM VSVS, ALIOQVIN ALIIS PROHIBITVS, LICITVS SIT ET PERMISSVS: ET DE PRIVILEGIIS ARMORVM.

Quae veterum ea in re magistratum conditio fuerit, coniectura.

I. Nunc de iis, qui arma gestare possunt, dispiciendum est. Et Potestatis quidem ratione olim in Imperio Romano nonnulli magistratus Ius GLADIi habuerunt: Nam Magistratus alii erant maiores, alii minores: quos in libera Rep. auspicia maiora et minora in comitiis ab inuicem secernebant: v. SIGON. *lib. 1. de Antiq. Iur. Ciu. Rom. cap. 7.* Occupata vero ea per Impp. comitiisque exoletis, quibus Princeps Imperium et potestatem dedisset: Maiores dici coeperunt; qui sine imperio et potestate tali, Minores *l. nec magistratibus 32. ff. de iniur.* IAN. GVLIELM. *de Magistrat. Pop. Rom. cap. 2.* et notabiliter SIGON. *lib. 3. cap. 5.* scribit: omnes magistratus tam vrbanos, quam prouincia-

les, ciuilem potestatem habuisse; verum alios maiorem, alios minorem; quae minor fuit, eam praecipue *potestatem* dictam; quae maior, eam non potestatem solum, sed *imperium* etiam appellatam. Vnde inferimus: Quibus Magistratibus vel iam olim, vel hodie, imperium merum et maior potestas concessa, id est, gladii potestas, ad animaduertendum in facinorosos facta, *l. quaecumque 1. D. de off. eius cui mand. est iurisd. l. solent etiam. 6. D. de offic. procons. l. nullus potest 70. D. de reg. iur.* iis infigne etiam huius imperii, (cuius summus gradus mortis poena, tempore Iurisconsultorum, praeter crucem et cremationem, PAVL. 5. *sentent. 17. ubi CUIAC.* gladio, vt olim secure, infligebatur, *l. aut damnium 8. §. vita adimitur. 1. D. de poen. l. illicitas 6. §. qui vniuersas, pen D. de off. praesid. CABOTT. 2. disp. 5. BODIN. 6. de Repub. 6.)* secures et gladii tributi fuerunt.

II. Imperium merum (ne quid in terminis peccemus aut praetereamus) antiquissimis temporibus dicebatur, quod separatum esset a Iurisdictione; (non enim ab initio Magistratibus cognitio criminalis demandata erat, ne consulibus quidem, *l. 2. §. 23. de O. I.* sed solus populus morte multabat. POLYB. *lib. 6.*) Tempore autem Imp. merum Imperium aliquibus Magistratibus iurisdictionem proprie dictam habentibus specialiter concedebatur, et sic in magistratuum nonnullorum persona et iurdictio Ciuilis et publici iudicii executio concurrebat; illa more maiorum seu magistratus; haec ex speciali concessione. Nam quia cum suprema potestate integris praeficiebantur Prouinciis, absurde et inepte in singulis causis specialis Principis iussus (vt olim; quanquam et postea vniuersalis executio ex lege data fuerit, Praetore publicis iudiciis et perpetuis quaestionibus praefecto. *dict. l. 2. §. capta 32. D. de O. I.*) expectandus fuisset. BACCOV. *1. disput. Treutl. 3. th. 6. lit. E.*

III. Hinc pronunciare licet, cur Consulibus olim non secures, sed fasces virgarum duodecim (antea 24. v. DIONYS. HALICARNASS. *lib. 5.* DION. CASSIVM *lib. 51.*) praelatae fuerint. BRISSON. *3. select. antiquit. 14.* Dn. GODOF. *ad l. hunc titulum 1. §. secundo loco 5. verbo, insignia D. de postul.* Dictatori autem duae secures, FORSTER. *hisor. iur. Ciuil lib. 1. cap. 17. num. 12.* haud ambiguum summi Imperii signum, SVETON. *in GALBA, cap. 8. in fin.* quod scilicet huic, non aequae illis animaduersio in caput ciuis Rom. competierit, *d. l. 2. §. 18. D. de O. I.*

IV.

IV. Verum enimvero, quae de Iure gladii Magistratibus maioribus concessio haecenus diximus, planum quidem habent sensum, quatenus per gladii symbolum et traditionem merum Imperium denotabatur: sed an iidem propterea gladio in urbibus accincti prodierint, maior quaestio est. Et de Magistratibus militantibus omnino concedendum est, ius eos gestandi gladii sibi vindicasse: In his enim meritum honorem distinguebat magnitudo ferri, quia gladio accingebantur Imperatores, Duces, Praesides: pugione, Tribuni, eo ipso tempore, cum honores et potestates ipsis mandabantur. ADR. TVRNEB. XII. *aduersar.* 6. Vbi Martialem inter alios adducit *libr.* 14. *epigram.* 32. ita ca-
vntem:

*Militiae decus hoc et grati nomen honoris
Arma Tribunitium cingere digna latus.*

De Civilibus autem Magistratibus P. FABER *ad l.* 7c. *D. de R. I. et I. semestr. cap.* 3. ex DIONE *lib.* 3. asserit, illud certum esse, quod iis demum Magistratibus id licuerit, quibus AVGVSTVS concessisset $\xi\phi\eta\tau\phi\omega\sigma\epsilon\tau\upsilon$: At enim Iurisconsultorum nostrorum aetate, sublata differentia provinciarum et magistratuum pop. Rom. et Principis, utriusque quidem ius gladii datum seu merum imperium ait, sed se non existimare, veste militari amictos gladioue accinctos fuisse. In qua sententia haereo. Tandem vero cum iidem magistratus iam ferme militares essent, LAMPRID. in *ALEXAND.* factum, ut gladio accincti prodirent: Cuiusmodi Comitem provinciae gladii potestate et insignibus coruscum describit CASSIOD. in *formula Comitum. Provinc. I. lib.* 7. *variar. pr.* ibi: Quamvis omnium dignitatum officia a manu secludantur (rectius quam apud BODIN. 5. *de Repub.* 5. *num.* 575. secludantur) armata et civilibus vestibus induti (pro quo iterum apud BODINVM male, *induci*) videantur, qui distinctionem publicam docentur operari; Tua tamen dignitas a terroribus ornatur (non ut apud BODIN. eruatur) quae gladio bellico rebus etiam pacatis accingitur: vide, quo iudicio fueris euectus, quando aliis vigorem fascium videas esse creditum, tibi autem ab ipsis legibus ferrum constet esse porrectum: Rem eruentam dederunt animo pacato, ut et noxii nimium metuerent, et laesi de optata visione gauderent.

V. Hinc sane legimus, gladio, ceu superioris potestatis insigni, cinctos, qui illa praediti, SCIP. GENTIL. *lib.* 1. *de Iurisd. cap.* 5.

et lib. 3 cap. 3. CAMERAR. centur. 1. horar. subcisus. cap. 76. PANCIROL. in notit. Imperii lib. 1. cap. 7. vt (1) foris et militiae Praefectum Praetorio, cuius insigne in veterum autorum libris agnoscimus carpentum seu tribunal, itemque gladium. P. FABER d. loc. Sic DIO lib. 68. narrat, TRAIANVM, cum Suram Licinium ad praefecturam Praetorii admoturus esset, gladium, quo ob dignitatem accingi eum oportebat, vagina eduxisse, ipsique porrectum, accipe, dixisse, hunc gladium, vt eo, si bene imperauiero, pro me, si male, in me vtaris. (2) Proconsulem, non quidem illum, qui Prouincias populo ab Imp. relictas, gubernabat, eum enim iure gladii caruisse, ostendit DIO lib. 3. Sed qui postea ab Imperatoribus mittebatur. l. 6. D. de Off. procons. l. 8. D. eod. (3) Praefides varios, quibus ius gladii dabant Imp.

VI. Sic ex iis, qui domi et in vrbe praecerat, hoc iure Praefectum Vrbi etiam gauisum esse, constat, cum Imperium, l. 1. §. 3. D. de Off. praef. Vrbi l. fin. D. de in ius voc. et proximum ab Imperatore locum habuerit, WESENB. in Oecon. Cod. de Off. praef. Urb. ¶ Neque tamen eo vsque prolabamur, vt cum nonnullis statuamus, Praefectum vigilum gladii potestatem habuisse, quod vltimo supplicio feruos affectuisse legitur. l. pen. D. de condit. causa data. Ob vilitatem enim personae, WESENB. in parat. D. de Offic. praef. vigil. digna ea res non est visa, quae ad praefectum vrbi remitteretur. arg. l. quae adulterium 29. C. ad l. Iul. de adult. sub quo ipso praefectus vigilum fuit, l. 1. C. de Off. praef. vrbi.

Ad modernos mores conuersa disputatio, vbi quidam arma gestant.

VII. Et haec de Imperii Romani Magistratibus: sane de priuatis omnibus indubitatum est, non licuisse iis in vrbe armis seu telo vti, d. l. 3. §. 1. Ad l. Iul. de vi publ. At enim vt gladii gestandi ius, inter ornamenta hodie haberi coepit, ita et frequentissimus et promiscuus gladiatorum gestandorum vsus in vrbibus inoleuit, sic vt vel omnibus passim gestandi gladii licentia sit: vel saltem, vbi passim non licet, potioribus. Qua de re BODIN. loco infra cap. 7. citat. Qui potiores igitur illi sint, qui in vrbibus gestandorum gladiatorum priuilegio fruuntur, videamus. Nimirum alii potestatis priuilegio, alii dignitatis praerogatiua, alii muneris necessitate arma gestare possunt in iis locis et vrbibus, in quibus alioquin aliis arma gestare prohibitum est.

(1) Ob

(1) *Ob potestatem, Magistratus,*

VIII. Potestatis ratione armorum gestandorum licentiam usurpant Magistratus, ii potissimum, qui merum imperium habent, Eo magis, quod modernis temporibus Magistratus isti, qui superioritatem territorialem habent, ipsis Principibus potius quam Magistratibus Romanis comparandi sunt, per *dicta supra*. § Caeterum quod ad magistratus ciuitatum municipalium et alios, quos superiores illi ad exemplum Principis Romani in suis ditionibus creant; illis hoc ius non consimiliter per se et absque superioris concessione competit, nisi compertum sit, merum etiam imperium eos, quod fieri quandoque solet, emtione, donatione, priuilegio, consuetudine, praescriptione (quanquam iure ciuili ad eum modum iurisdictio praescriptibilis non sit, OBRECHT. *de Iurisd. cap. 4. num. 19.*) aut aliis modis acquisitum habere, MATTH. STEPHANI *de Iurisd. lib. 2. part. 2. cap. 2.* § DECIANVS tamen *d. lib. 8. cap. 3. num. 46.* producit hoc etiam ad Magistratus, qui Iurisditionem aliquam habent: Vnde est, quod infert *num. 44.* posse etiam Rectorem scholarium arma ferre, eo quod habeat Iurisditionem ex *Auth. habita C. ne fil. pro patre.* et si per Edictum prohibitum sit Scholaribus arma portare, non comprehendi Rectorem. Verum *in fine num. 46.* ipse fatetur, usu obtinere, vt tales Magistratus, qui Iurisditionem tantum habent, ab ordinariis Magistratibus, Principem repraesentantibus, licentiam armorum gestandorum impetrent.

eorumque Officiales.

IX. Quae haecenus *de Magistratibus dicta sunt*, extendunt Dd. etiam ad illorum ministros tam digniores et extantiores, vt Consiliarios, Legatos, Assessores, Oratores, et alios, quos dignitas sua commendat; quam inferiores, quibus officii ratione incumbit, vt armati sint, de quibus *in fin. huius capituli*. In genere autem Curiales et Aulici ex voluntate Dominorum suorum armis uti possunt, quemadmodum ipsis alia etiam propter ministerium imperiale concessa sunt, *l. nemo 2. C. de vestib. holober.* DECIAN. *d. cap. 3. num. 50. et 52.* vbi quaerit, an hoc etiam procedat in Curialibus, qui actu non inseruiunt, sed Codicillares tantum sunt, id est, per libellum et priuilegium Principis in eius familiaritatem sunt adsciti? Negatque hos eo priuilegio uti posse. Quod parum abest, vt disputatum sit contra iudicium Principis, an dignus sit, vt vtatur beneficio, quem is dignum pronunciauit. *l. disputare 3. C. de crim. sacrileg.*

(2) *Qui-*

(2) *Quidam ob dignitatem, ortam ex virtute vel militari,*

X. Pergimus ad eos, qui *dignitatis* causa arma gestare possunt. Et (1) de personis regali dignitate praeditis, vt Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, REINKING *de regim. secul. et Eccles. lib. 1. class. 4. cap. 16.* quo iure armorum gestationem vsurpent, vel ex superioribus liquet: Neque audiendus est DECIANVS, qui *d. cap. 3. num. 15. 16. et 17.* contrarium tenet, (1) per vniuersalem negatiuam huius, *l. vn.* (2) per *l. vit. iuncta gl. in verb. cingulo C. de praepos. sacr. cubic. lib. 12. vbi*, inquit, Nobilibus tantum arma ferre permittitur, dum proficiscuntur; ergo alias non licet. Namque ista omnia ex ratione status moderni in Imperio Romano aliter se habere dignoscuntur, per ea, quae haecenus proposita sunt: Quanquam facile credamus referenti, in regno Siciliae nec Barones, nec Comites, qui non ipso actu milites sunt, arma ferre posse; de qua, vtpote Imperio adempta, (vide CRVS. *annal. Sueuicor. lib. 2. par. 3. cap. 19.* MVNSTER. *in Cosmograph. de Italia cap. 73.*) in praesentiarum non erimus solliciti. (2) Succedunt Equites, qui cum armis inuestiantur, DECIAN. *dict. cap. 3. num. 40.* et gladio ceu militiae insigni, cingantur, non solum in testimonium operae haecenus strenue nauatae; sed et incitamenti causa ad rem in posterum fortiter gerendam, quidni arma ferant? DECIAN. *ibid. num. 42.* (3) Nobilibus, idem DECIAN. cum pluribus aliis armorum gestationem non nisi cum permissione Principis licitam esse statuit, vide Dd. communiter *in §. si quis rusticus 2. F. 27.* quod vel ex ea ratione refellitur, quod et ipsi milites sunt et vasalli, quos ex supra dictis, et mox vberius dicendis, semper promptos cum armis suis esse debere, constabit. GVID. *Papa decis. 384. in addit. lit. B.* BON. *de CVRTIL. tr. Nobilit. par. 3. num. 58.* Hinc vocantur *die Rittertschaft*, quod ante ducentos, ac quod excurrit, annos soli fere Nobiles in Germania et Italia, et maxima pars, equis militarent. LANS. *de ordin. Equestr. th. 1. in fin.* ac etiamnum periclitanti superiori equis et armis succurrere tenentur. P. BELLIN. *de re mil. par. 2. tit. 3.* Ita PHIL. HONORIVS *relat. de regn. Gallico commemorat*, in Gallia Nobilibus licere esse armatis quoquo loco: et vltum armorum proprium esse Nobilitati Cl. SESELLIVS *de regn. Gall. lib. 1.* Quia caetera immunes solum Regi in bello operam praestent. Thesaur. *Polit. part. 1. relat. de Francia fol. 172.* ¶ Propter eandem causam, ne Nobiles vnquam armis carere cogantur, sancitum est iure Saxonico, vt maribus haeredibus arma, quae Res expeditorias vocant, *das Heergewetze*, praecipua debeantur. WESENBEC. *parat. ff. de supellect. leg. num. 4.*
licet

licet MENOCH. 4. *praesunt.* 160. *num.* 22, arma iure Ciuili in supellectili esse neget per *l. supellectili* 3. §. *praeterea* 2. *D. de supellect. leg.*

vel togata.

XI. Et his quidem dignitatem conciliat virtus militaris, tanquam fundamentum; et generis praerogatiua, tanquam tradux eius et propago: Sed et ob dignitatem *ex virtute ciuili* comparatam, aliqui hoc honorum insigni vtuntur, vti (1) Doctores iuris, Colleg. Argent. *ad l. Jul. de vi pub. th. 3. et allegati ibidem*, qui passim nobilibus aequiparantur, vide praeter alia *l. prouidendum. 7. et ibi PACIVM in anakyf. C. de postul.* et sine speciali Imperatoris permisso alia nobilium insignia vsurpant, per *vulgatissima.* vide NOLDEN. *d. tr. de stat. nobil. th. 38.* Quo sensu forsitan accipiendum erit, quod ANDR. de ISERN. (teste LVC. de PENNA. in *l. 1. C. de Professor. qui in vrb. Constantinop.*) militares viros eos esse dixit, qui deferunt signa militaria iussu Principis, vt sunt *Doctores Legum*, qui deferunt calcaria deaurata. Potest etiam videri inde nata consuetudo in nonnullis Academiae, vbi Doctores vel in ipsa promotione gladiis cinguntur, vel iisdem accincti promouentur. (2) Sicut autem athletae tribus coronis more Graeciae antiquo olim insigniri debebant; ita, verba sunt ALCIATI *ad l. cui praecipua 57. num. 3. et 4. ff. de verb. signif.* in agone literario tres sunt distincti gradus: Primus *Baccalaureorum*, qui a bacca laurea, nomen sumsisse videtur, scholastico ordini proximior quam Doctorum; Secundus ad eos pertinet, qui nondum insignia susceperunt, electi tamen auctoratique sunt, qui *Licentiatii* dicuntur; hi, quia in actibus maxime fauorabilibus Doctorum loco habentur, arg. *l. pen. ff. de testam. milit.* praeter allegatos a NOLDEN *d. tr. th. 37.* MATTH. STEPHAN. *lib. 3. de iurisd. part. 2. cap. 14. num. 95.* Ideo et istam facultatem haud dubie habent.

XII. Maxime vero (3) Ciuilis haec et togata virtus commendat ad honorum decorem eos Doctores et Licentiatos, qui publice Professores agunt, seu iura profitentur, cum illi, licet iunioribus, praeferrantur Doctoribus aliis, licet senioribus, et qui per 20. annos publice docuerunt, Illustribus annumerentur, vide BARTOL. *in rub. proem. D. num. 5.* IASON *in l. 1. num. 12. de offic. eius cui mand. est iurisd. t. t. C. de Professor. qui in vrb. Constantinop.* vbi CUIAC. ARVM. *disc. pecul. de hac re.* Item (4) qui Consiliarii et Adsesores Principum sunt: Cum enim pars corporis Principalis censeantur, *l. quisquis 5. C. ad l. Jul. Maest.*

iest. patres et amici Principum, §. *filiisfamilias* 4. *Inst. quib. mod. patr. potest. soluit. l. si post* 4. *C. de iur. et fact. ignor. merito omnibus honorum ornamentis coruscant.* (5) Cum Consiliariis Principum in priuilegiis comparari solent Aduocati et Procuratores Principum maiorumque Curiarum, PECCIVS *de iur. sistendi cap. 5. num. 81. per l. aduocati* 14. *C. de Aduocat. diuers. iud.* Quamquam autem caeteris quoque minorum gentium Procuratoribus et Notariis in hac dignitatis controuersia παρὰ δόξαν patrocinium praestet ANT. FABER *in Codice suo lib. 9. tit. 29. definit. 4. et 5.* Eius tamen autoritas nos permouere non debet, vt a communi sententia diuortium faciamus. Vide saltem WESENBEC. *in parat. D. de procurat. num. 10.*

XIII. Restant (6) *Medici Principum*, quibus itidem hanc facultatem competere non dubitamus, siquidem dignitatem habent. ANT. FABER *d. tit. 29. definit. 11* qui ipse *definit. 9.* caeteros Medicos, vt cunque publici Professores et Lectores sint, siue alias curandis tantum morbis vacent, nec nobiles esse (vbi ipsum sequitur NOLDEN *d. tr. tb. 45.*) nec vlla dignitate praeditos iudicat: Vnde consequenter et armorum gestandorum facultas ipsis intercideret: Verum ego istam sententiam meam facere nolum. Videri potest pro Medicis SINIBALDI. VVALDVVS *de nobilit. axiom. 51. et duob. seqq.* SIMANC. *lib. 1. de Repub. cap. 10.* Extremo (7) *Philosophi* gladiatorum gestationem non adferant, cum hoc desiderium a professione illorum discrepet *l. professio* 6. *C. de munerib. patrimon.* Honorum enim contemtores sunt, et ab his rebus alieni, *l. si duas* 6. §. 7. et 8. *D. de excusat. tutor. l. reddatur* 8. *in fin. C. de Profess. et Medicis. v. de Poëtis l. 3. C. eod.*

XIV. Habuimus eos, qui in dignitate aliqua ex virtute togata comparata constituti sunt: Sequuntur illi, qui per gradus honorum culmina petunt, *Studiōsi*, qui sunt vel veterani, vel recentiores. Veterani vel adhuc in Musarum castris degunt, vel alibi extra Academias commorantur. *Si in Academiis adhuc viuunt*, merito ad iussum Magnifici Rectoris sese componunt. Quod si is ex consilio Procerum Academicorum gestationem armorum interdicit, illi, ceu cordati ciues, ab his se abstinēt. Quod in iis Academiis fieri amat, in quibus ob contraethorem oppidi ambitum, Ciuiumque raritatem metus est, ne, si arma studiosis permittantur, tumultus fortuito excitatus difficulter sedari possit. Qua de re tam alibi saepius, tum nuper in A. I. 24. Iul. anno 1625.

ita

ita propositum fuit : Non sine iusta indignatione redintegrandi videmus publicam armorum gestationem, quae olim in pacata Repub. et maxime quidem scholastica infrequens erat et maxime insolens ; praesertim si et hoc impudentiae accedat, ut abiectis palliis per vias publicas Thraones illi discurrere sibi licere, nulla verecundiae et pudoris habita ratione, putent. Hos igitur, ut aut sua recipiant pallia, et quaeuis deponant arma : aut, si nobis morem gerere non velint, neque nostris se attemperare legibus, in malam rem abeant, iubemus. Satius est paucos habere studiosos frugi et modestos, quam plures efferatos et indomitos, a quibus nihil honesti expectandum. A prohibitione tamen eiusmodi speciale indultum Magistratus superioris liberat, per notissima. Quam in rem facetam historiam recenset DECIAN. d. lib. 8. cap. 2. in fin. Quod, cum aliquando a potestate Patavii adolescens scholaris impetrare cuperet licentiam arma ferendi, non obstantibus Edictis graui poena communitis, denique Praefes annuerit, hac lege, si studiosus non alio armorum genere vteretur, quam quod Praefes ipsi definiturus esset : Promittente iuvene, iussit Praefes, ne vllum aliud armorum genus propter bombardam colubrinam portaret, isto sarcasmate impotens adolescentis desiderium elusurus. Refert tamen DECIANVS, se intercessore studioso illi hanc facultatem tandem concessam, licet ea multis aliis fuisset denegata.

XV. Quod si nihil interdictum reperiatur, et tacita consuetudine armorum gestatio sit introducta, vti in populosis ciuitatibus fieri solet, nihil obstat, quo minus studiosi, praesertim *iurisprudentiae*, qui ad spem Reipub. gubernandae, s. fin. prooem. *Instit.* erudiuntur, WESSENBEC. in *parat. ad l. Cornel. de sicar. rum. 1. in fin.* gladios gestent. Quo iure suffultus ita non nemo contra Antagonistam suum scribit: Gladio accinctus incedo, cum lubet; habent hunc morem Academiae, eo me instruxerunt, hunc etiamnum retineo. Ibi vere studiosis gladium gestare non sine ratione est concessum; putatiuis vero, vitae eruditionisque minus probatae, ut sunt fuci illi, qui nec studiorum nec armorum usum norunt, prohibitum. S. SP. in *destr. F. D. M.*

¶ Plane utcumque armorum gestatio in aliqua Academia sit interdicta, non tamen numerari solent primi dies, quibus quis circumspicit de loci opportunitate, et deliberat de mansione, ut adhuc pro itinerante, vti Dd. loquuntur, possit haberi. Nocturno etiam tempore arma plerumque impune geruntur; cum ob fortuitos potius casus, quam

quam contumaciter gestari praesumantur, *l. 10. et l. pen. §. fin. D. ad leg. Jul. de vi pub.* Qua ratione defendi posse videtur consuetudo quarundam Academicarum, qua digladiationes diurnae, quae prouocatione muria ante portas urbium fiunt, grauius puniuntur, quam nocturnae: Hae enim fortuito, illae ex *πρῶσις* instituuntur: vtut hic pronunciandi mos improbetur GVMPELZAIMERO *de Exerc. Academ. part. 3. sect. 3. th. 16. et 17.*

XVI. *Extra Academicarum pomeria positi studiosi veterani, subsistunt in loco, alio vel animo domicilium figendi, et haec armorum gestationem ipsis permittendam esse duxerim, nisi statutum Ciues indifferenter omnes disarmatos, vt loquuntur, esse iubeat: Censentur enim priuilegiis Academicis renunciaffe eo ipso, dum se alienae iurisdictioni subiiciunt: vide infra cap. ult.* Vel animum istum non habent; et hos, ceu florentissimos honorum alumnos nemo, qui ingenia ad magna nata riteno ritae aestimare, arcebit ab hoc honoris auctoramento, *arg. l. postliminii §. §. fin. D. de capt. et postlim. reuers.* LVCAS de PENNA *ad l. hac lege 2. C. de priuileg. scholar.* Hinc vt accepimus, nonnullibi statuto studiosis in patriam visitandorum amicorum, aut negotiorum suorum gratia reuertentibus prouisum est, ut iuxta ac Doctores iuris gladio accincti incedere possint. Quod tamen LVC. de PENNA *ibid.* limitat, vt his et similibus priuilegiis studiosi gaudeant, si non otiosi in patria aut alibi vagentur per *l. qui mittuntur 35. in fin. ibi dum domi sit l. si cui 38. §. tandem 1. D. ex quib. caus. maior.* Addo, dummodo pacate se gerant, quod in dubio facturi praesumuntur, *c. dudum, de praesumt. l. fin. C. ad leg. Jul. repetund.* alias priuilegiis suis cadunt, per dicenda *cap. fin.* et sub illo Praeside respondere coguntur, in cuius prouincia deliquerunt. Habent enim equidem priuilegium fori seu iudicis, sed non loci, vt distinguit LVCAS de PENNA. Hoc est, quando in Vniuersitatibus, aut quatenus earum districtus pertingit, commorantur, coram alio, quam suo Magistratu, conueniri nequeunt: Sed cum in alio loco peccant, reuocare eo non possunt; *l. omnem 20. l. argentarium 45. D. de iud.* quam doctrinam idem notandam esse ait, licet eam habeant pro malo (ita loquitur) facti scholares, qui inconsiderate quiduis in locis extra Academicas priuilegiorum suorum fauore sibi licere arbitrantur.

Quaestio.

XVII. Illud hoc loco quaeri solet, an et studiosus, qui per quin-

quinquennium (quem terminum praeficiunt communiter, v. BECHT. *tr. de securit. et salu. conduct. th. 233. in med.*) ab Academicis abstuit, hoc ius usurpare possit? Quod negandum videtur ex eo, quod in genere Scholarum privilegia post hoc tempus expirent. Vide HUNNIVM, PACIVM et alios ad *Auth. Habita C. ne fil. pro patr.* nisi elapso quinquennio denuo nomen suum matriculae inferi petierint, ubi privilegia haec reuiuiscunt. REBVEFF. *de praeleg. Scholar. priuil. 147. num. 5.* COTHMAN. *resp. Acad. 14. num. 23.* aut nisi dignitas et vera eruditio ipsum commendat, ut Doctoriae etiam honores mereri videatur, ut quadamtenus mox cingendus pro cincto iam hac parte haberi possit. *Vide si subet, quae post NEVIZ. et PACIAN. de Doctorellis seu Doctoribus misericordiae, uti vocant, habet RVTGER. RVLAND. de commissar. par. 1. lib. 1. cap. 14. num. 7.*

XVIII. Quod recentiores, et qui rudes ad excitationes permeant, ut loquitur Imperator in *Constit. omnium §. Illud 9. de method. lit. CUIAC. 6. obs. 13.* attinet, qui cum vnum aut alterum mensem aegre in Academicis vixerunt, Vacunae et Baccho potius quam Musis operati, in patinis potius et pateris quam paginis versati, licet noctes atque dies gladiatorum gestationem somniant, *Colleg. Argent. d. l. ad L. Tul. de vi pub. th. 3. num. 4.* ab his abstinere satius foret, cum ridiculum sit, eum, qui heri nouus erat homo, hodie in peristyllis gladio suffarcatum obambulare, *arg. l. Praetor 7. §. praeterea 2. D. de iustur.* Per habitum enim homines a se inuicem dignosci debent, velut Archiepiscopus per pallium, *c. ad honores ext. de usu pallii. Sexuus a liberto l. 1. §. sed et qui §. C. de Latin. libert. toll. nouitas a professo, c. per ext. de regular. discernitur.* LVCAS de PENNA *ad d. l. 3. C. de Fabricens. num. 27.* De Studiosorum famulis, de quibus alias etiam in materia horum privilegiorum quaeri solet, dicere superuacaneum est, cum aliud sit in privilegiis, quae dignitatem, aliudque in iis, quae securitatem respiciunt; ut in his, non item in illis ministri dominorum beneficiis fruuntur. *Vide PAC. d. l. ad Auth. Habita cap. 4. num. 15. P. FRIDER. de continent. caus. cap. 19. num. 12.*

XIX. Haecenus disputatis obicit MENOCH. *de A. I. Q. var. 394. num. 80.* Codices et Leges Doctorum arma esse, non gladios. *Aut cum non vna hodie armorum gestandorum ratio sit, uti supra in prohemio. et huc usque saepe dictum, ideo licet etiam non primario de-*

ensionis causa arma gestent (ne alioquin illi, qui aetate decrepita et de-
ponti sunt, sannas mereri videantur, quemadmodum GALBAM Imp.
irrisum DIO CASSIVS *lib. 64.* refert, quod in itinere gladio accinctus
fuisset, homo senex et imbecillis) adeo, vt nec a militibus prouocari,
nec prouocati comparere, nisi et ipsi Nobiles sint, teneantur; cum ar-
miger Doctorem ad duellum prouocans aequae sit absurdus, ac si hic il-
lum ad disputandum prouocaret, vti scribit PARIS de PVTEO *tr. de re
milit. lib. 9. qu. 5. et seqq.* Ex quo tamen dignitatis etiam testimonia ar-
ma facta sunt, vt honos gladii in cingulo militari portetur, IOH. SA-
RESBERG. *lib. 6. Pol. c. 13.* non iniuria ipsi etiam caeterorum hono-
ratorum ornamentis vtuntur, *l. hac lege 2. ibi: Tam cingulo quam priuile-
giis omnibus, Cod. de priuileg. Scholar.* praesertim cum generaliter iam
dudum publicis Imperii SCris decretum sit, eodem hos, quo Nobiles,
habitu posse cum vxoribus et liberis suis incedere, imo aliquanto vber-
riori. *Recess. Imp. de Anno 1500. tit. von Ueberstüffigkeit der Kleider, ibi:
Die vom Adel, so nicht Ritter oder Doctores sind, sollen kein Gold noch
Perlen offentlich tragen.*

(3) Nonnulli muneris necessitate, vt milites.

XX. Haecenus de iis egimus, qui vel Potestatis vel Dignitatis
causa potissimum armis vtuntur: sequuntur ii, qui *muneris necessitate* ad
id obstringuntur, idque non tantum moribus hodiernis, sed etiam vete-
ri iure Romano, nempe Milites, qui non inuiti superiores subsequuntur,
cum et illi quadantenus milites sint, scilicet militiae Ciuilibus, togatae et
litteratae, *l. 2. C. de priuileg. scholar. lib. 12.* Milites dicuntur non tan-
tum ii, qui in militari matricula auctoritate Principis scripti et publico
signo vocati militiae sacramento sese obstrinxerunt, enseque cincti sunt,
t. t. D. de re milit. vbi Colleg. Argent. th. 3. Sed et qui in ea conditio-
ne sunt, vt semper in procinctu esse et superiori in bello succurrere co-
gantur. Quo sensu in iure feudali milites Vasalli passim dicuntur. Sunt
autem in genere milites vel eminentiores, vt sunt Equites variorum or-
dinum et Praefecti militum; vel inferiores. Vide post plures DAN.
OTTON. *cap. 19. iuris publici p. m. 472.* Omnes isti non tantum di-
gnitatis, velati eminentiores, sed necessitatis causa arma gestare dicun-
tur, *Nou. 17. cap. fin.* Eum enim in finem cingi milites apud Roma-
nos in vsu fuit, *l. Titius 25. l. quod dicitur 38. l. filiusfamilias 43. et ibi
Dn. GODOFR. D. de testam. milit. Zona scilicet, appenso ense, BRIS-
SON. 2. antiquit. 7. CONNAN. 9. comment. 5. num. 8. VIGLIUS in
rub.*

rub. *Instit. de testam. milit. num. 18.* DVAREN. ad tit. *D. de testam. milit. cap. 2.* BOCER. lib. 1. de tur. bell. cap. 11. num. 5. vt scirent, non nisi cum membris arma esse armitenda, quod CIC. de sui saculi militibus praedicat 2. *Tusculan.* Scutum, inquiens, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quam humeros, lacertos, manus; arma omnia membra militis esse dicunt. Et onera alia ita apte gerunt, vt si usus foret, abiectis iis, expeditis armis, vt membris pugnare possint.

XXI. Tantum certe in cinguli iure Romani posuerunt, vt piculi loco habitum sit, militem in castris non accinctam versari, quod ex illo TACITI II. *Annal.* 18. plerique colligunt, vbi Corbulo veterem ad morem reducens laetantes populationibus legiones, militem, qui vallum non accinctus, atque alium, qui pugione tantum accinctus foderet, morte multasse legitur. Nam cincti gladio, fossam aperire tenebantur, teste VEGET. lib. 3. cap. 8. Et non nisi qui exauctorabantur BRISS. 2. *antiq.* 70. aut sabiugum mittebantur, discincti erant, teste AMMIAN. MARCELLIN. lib. 22. FESTO lib. 9. (quanquam LIPSIVS ad d. TACITI locum haec distinguit, *discinctum*, et, *non accinctum esse*.) Hinc miles, qui arma tota vel maiora alienauit, desertori exaequatur, l. qui commeatu 14. §. arma 1. *D. de re milit.* LVC. de PENNA in rub. tit. *C. de Fabricens.* capiteque punitur, l. desertorem 3. §. miles 13. *D. ead.* Quam tamen poenam pro armorum ratione mitigari, praesertim in tironibus, vult TIRAQ. *tr. de poen. caus.* 10. Et qui aliena arma subripuit, gradu militiae deteriore locatur, d. l. 13. §. qui aliena 14. *D. eodem.* P. FABER 1. *semest.* 17. et amissa arma postliminio priori domino non reuertuntur, cum ea turpiter amittantur, l. manibus 2. §. non idem 2. *D. de captiuis et postlim. reuers.*

Hinc armorum privilegia.

XXII. Inde tot armorum profluxerunt privilegia, vti (1) Creditoribus in executione ea inuadere non liceat, quae milites militiae causa habent, l. miles qui 6. *pr. D. de re iudic.* et arma militibus relinquenda sint, vt libri Scholaribus, et breuiarium Clericis. COLER. *de process. execut. part. 2. cap. 3. num.* 134. (2) Pignori arma capi non possunt, arg. l. qui commeatu 14. §. arma vn. *D. de re milit.* Gl. in l. Neos Proculo 125. *D. de verb. signif.* Colleg. Argent. ad t. *D. quae res pignori ib. 2. num.* 12. (3) A vestigialium praestatione sint immunia, ita, vt ne professionem quidem de iis facere milites cogantur, l. omnibus militibus 3. *C. de*

de vestigal. vide iterum Colleg. Argent. tit. de re milit. ubi fm. (4) Nec filius armæ, quæ ipsi in bellum eunti pater donavit, conferre teneatur. VIGEL. in method. sur. contravers. lib. 4. cap. 7. reg. 13. except. 4.

Quæstio.

XXIII. Et hæc de militibus merentibus, indubia sunt. Quid de iis, qui extra militiam sunt, constitui, censendum? DECIAN. 8. tract. crimin. 3. num. 39. in fine refert, plures se vidisse, qui se scribi fecerint in numerum bombardatorum ad hanc tantum finem, ut arma ferre possent, cum tamen vix unquam bombardas viderint: sed adveniente bello coactos præter spem militare, atque ita ambitionis suæ poenas dedisse: Ergo ii, qui in numeris sunt, cum per omnia momenta expediti esse debeant, hæc dubis arma ferre poterunt.

Illis certe tironibus, qui, ubi vix obliquis oculis cum seruo Amphitruonis Martem aspexerant, postliminium cogitant, demumque reuersi omnia mentiantur, se qua in parte Pyrgopolinica dissimiles appareant. Illis, inquam, gladius tam serio adimendus est, quam manibus furiosi; cum plerumque honoribus sese ipsi opponant, armis autem ad securitatem vel non opus habeant, vel, nisi ad tumultum excitandum, uti stitiant. Adde, quod veteranis etiam privilegia militum et iura tantum quoad militiam, et in castris degunt, conceduntur. l. sed et milites 8. D. de excusat. tutor. §. sed hæcenus 3. Inst. de milit. testam. l. filiusfamilias pen. D. eod. l. sancimus fm. C. de restitut. milit. (tamen TI. RAQ. de nobilit. cap. 20. n. 68. et 72. emeritis militibus armorum gestationem concedat; quod forte de Officiariis, et quos eximia dignitas post expletos militiae sudores manet, accipiendum erit, l. i. C. de veteranis lib. 12.) Quis ergo hos Thrasones ferat, qui armorum gestationem quasi iure quodam suo sibi vindicant?

¶ Besinde armis etiam exuendi sunt milites vagantes, Plānetas terrestres; heermilose Krachte, Hünnerfänger, & Non. 17. infr. ibi: non militantem, qui militum nomen prætendentes, res ipsa sunt catali in silicis, ut inquit BALD. in l. i. in fin. C. qui bon. ced. poss. proptereaque extra Imperii fines eliminandi, omnibusque militum privilegiis exuendi, et poenis competentibus affigiendi sunt, l. nemo 13. in fin. C. de re milit. lib. 12. l. veterani 3. C. de veterani. lib. 12. Resess. Imper. de Anno 1551. §. Nachdem auch, ut et Anno 1555. 1595. etc. etc.

XXIV. Sed quae de militibus in specie dictis modo allata sunt, ea et de *militibus iuris feudalis*, hoc est, vasallis intelligimus. Hi namque arma bellica deponentes, conditionem vasallaticam exuere videntur: *ti. t. de vasall. milit. qui arm. bellic. depos. 2. F. 21.* Talium militum semper paratorum loco olim erant Nobiles, quibus ideo feuda dabantur. *1. Polit. 7. thesi 3. vers. 2. et dictum supra cap. L.* Atque inde, qui sunt Nobiles, antiquitus milites, modo etiam Equites, fere ab equestri militia, cui sunt obnoxii (vti itidem dictum supra) a latine loquentibus et scribentibus appellantur. CROMER. *in Polon. lib. I.*

XXV. Sunt praeter milites et alii, qui muneris necessitate ad armorum gestationem adstringuntur, sc. *ministri Magistratum*, apparitores, nuntii, pedelli, rabduchi, et huius generis alii parastatae et stipitatores, quib. Magistratus tum ad securitatem, tum ad officii executionem vtuntur. SOC *reg. 47. allegans l. arma ad salutem §. fin D. de offic. praes. vigil. ubi BALD. hanc materiam tractet, quae tamen est l. nam salutem 3. §. sciendum est 3. D. d. t.* Vide de stipitoribus obiter BODIN. *4. de Rep. 1. KECKERMANN. disp. 34. quæst. 5. CLAPMAR. de arcan. Rerum publ. lib. 3. cap. 14.*

CAPVT SEPTIMVM.

QVIBVS ARMORVM VSVS, ALIOQVIN ALIIS LICITVS, SIT INTERDICTVS.

Praecipue ab armorum gestatione prohibentur,

I. Scribit equidem DECIANVS *8. tract. crimin. 4. num. 5. in medio.* Hodie in quacunque regione et ciuitate quemlibet arma portare posse, et quidem impune, nisi expresse statutis vel edictis prohibeatur. Et distinctius BODINVS *4. de Rep. 7. num. 487.* Italiae ac multo magis etiam Orientis Principes, arma ferre, aut longioribus gladiis subditos, praeterquam eos, quos adhibent ad corporis custodiam, accingi non pati: At Gallorum aeque ac Germanorum et Anglorum moribus id non modo licere, verum etiam Heluetiorum legibus necessarium esse: Sed tamen sunt omnino quaedam personae, quae ab armorum gestatione arcentur. Nempe quaedam prohibentur ob sexum, aliae ob Professionem vitae con-

K

trariam,

trariam, aliae ob conditionem infra dignitatem hanc positam, ob conditionem dignitati isti contrariam, tandem ob defectum communionis iuris ciuilibus.

(1) *Mulieres.*

II. *Ob sexum prohiberi Mulieres monere ferme superfluum est.* Remotum enim est a pudore sexus, mulieres virilibus officiis fungi, *l. tutelam 1. C. quand mulier tutor. offic. l. mulieres 2. D. de reg. iur.* virile autem officium est, arma gestare, vxoresque a viris, non viros ab vxoribus defendi aequum, *§. patitur 2. Instit. de iniur.* vnde et in litibus ciuilibus et pecuniariis non admittuntur, *l. alienam 18. C. de procurat. l. neque 54. D. eod.* vbi WESENBEC. *num. 4.* vt taceam, quod mas ad imperandum, foemina ad parendum sunt nati. ARIST. 1. *Polit. 5.* (Quicquid in contrarium CORNEL. AGRIPPA *tr. de praecellent. foeminae sexus* nugetur) nec dignitatem ex se foemina habet, praeterquam regina aut princeps: DONELL. 13. *comment. 18.* vt nulla ratione ad armorum mouendorum facultatem admittendae videantur. Et quanquam non raro foeminae gladiatoriam exercuisse legantur, vt apud STATIVM

Stat sexus rudis insciusque ferri, et pugnas capit improbus viriles, etc.

Attamen id neque ad ordinariam gladii gestationem pertinet, et corruptis moribus et Imperatorum prauitati potius imputandum est, quo nomine eos etiam passim perstringunt Historici, quomodo de Domitiano locutus SVETONIVS; Non virorum illum solum pugnas edidisse ait, sed et foeminarum *cap. 4. in eius vit.* Parum ergo inde ad facti relictitudinem momenti. Quin sub bonis Imp. SCtis cautum, *μηδὲ μηδεμίαν γυναικα μονομαχεῖν.* Non vltra foeminam vllam ad gladium depugnare. XIPHILIN. *in SEVERO.* Recte proinde Dd. communiter poenam armorum portationis de mulieribus etiam accipiendam esse statuunt. SVAREZ. *commun. opin. vers. mulieres, num. 152.* DECIAN. *d. cap. 3. num. 27.* Cogitarunt quippe prudentiores inuidam, suspicacem, inconstantem, insidiosam, et, si iis potentia adiuncta sit, intolerabilem esse mulierum naturam. SCALIG. 3. *Poet. 14.* Itemque initium turbandi omnia saepenumero a foemina oriri. LIV. *lib. 1. cap. 46.*

III. Vnicum extremae necessitatis (quae legem non habet, *arg. l. licet ante 1. C. de condit. ex leg. l. si tempore 1. in fin. C. de oper. libert. omnesque constringit l. generaliter 12. pr. C. de reb. credit.*) casum excipio,

pio, (quanquam neque haec excepta est: nam nos de ordinaria gladii gestatione loquimur; non de usu armorum extraordinario) quo et mulieres nonnunquam armantur, et ad defensionem tenentur. **N. BOER.** *tr. de custodia clauium* num 32. Sic apud **DIONEM** *lib. 61.* legitur, inter Germanorum cadauera sub Antonino Philosopho in Italia caesa, mulierum quoque corpora armata reperia fuisse. Apud **NICET. CHONIAT.** *lib. 1. histor. MANVEL COMNENI.* In expeditione Alemannorum in Palaestinam virgines fuisse hastatas et armatas, virilique habitu ornatas, Martio vultu, Amazonibus audaciores. Et inde Argiui in Numeniis suis singulis mensibus celebratis, mulieres virilibus tunicis et chlamydidibus, viros contra muliebribus pepelis ornarunt, ob Cleomenem nempe et Demarathum, Spartanorum Reges, diuersis vicibus ab vrbis oppugnatione fortissime depulsos, **POLYAEN.** *lib. 8. Stratagem.* Nec nostra tempora istiusmodi exemplis caruerunt. Cum anno 1552. Mahometus Agriam, Vngariae oppidum, neque situ neque arte vsque adeo munitum, 70000. hominum exercitu cingeret, Praesidiariorum 2000. et mulierum imprimis tanta virtus fuit, vt Turca amissis vltra 8000. cum pudore obsidionem dissoluere cogeretur. Inter illas vna, quae coram matre et marito depugnabat, cum occiso marito a parente moneretur, vt corpus tolleret et sepulturae mandaret: Non hoc, inquit illa, o mater, **DEYS** sinat, vt vir inultus terra condatur; pugnam hoc tempus, non exequias sibi deposcit, arreptoque demortui ense et clypeo, in medios hostes ruit, nec prius a pugna destitit, quam tribus Turcis, qui in murum enitebantur, interfectis. **THVAN.** *lib. 10. histor.* Et cum anno 1573. Sancerra in Bituricensi agro obsideretur, praecipua vis foeminarum fuit, quae prouoluendis saxis, oleo fundendo, artificiosis ignibus ac circulis candentibus, summa animi praesentia, spretis periculis, assidue inserebant, et in medio discrimine versabantur, quaedam etiam supra, quam sexus fert, viriliter arma tractare conspectae. **IDEM** *lib. 55. histor.* Atque his casibus publica necessitas priuilegia concedit, *l. si fideiussor 27. in fin. C. de fideiussor.*

(2) Clerici.

IV. (2) Professione vitae contraria ab hoc iure arcentur non solum *Philosophi*, vt supra dictum, sed multo magis *Clerici*. (Qua appellatione hoc loco designo eos, qui diuinis officiis mancipati sunt, et quos ab omni strepitu cessare conuenit, **LANCELLOTT.** *lib. 1. Instit. sur. Canon. tit. 4.*) quibus armorum usus penitus interdictus, *c. si quis dist.*

dist. 36. adeo, vt arma gestant irregulares efficiantur et excommunicentur, c. Clerici, ext. 1. u. et honest. Clericor. vbi ANT. de BVTRIO, et iudev I. Clerico cum armis contra prohibitionem et proclamationem Magistratus reperto, eadem auferre possit, nec vnquam restituere teneatur, cum talia Edicta, quae publicam salutem concernunt, Clericos quoque ligent, COVARRVV. quæst. practicar. 33. num. 6. et 2. resolut. 27. Quod in Gallia, idem ibidem, Italia, et nominatim in Regno Neapolitano, RICCIUS decis. Neapolit. 48. 93. 209. Hispania idem COVARRVV. 2. resolut. ult. Ducatu Mediolanenti, CHASSAN. sup. consuetud. Burgund. num. 79. et alibi, v. IVL. CLARVM lib. 5. recept. sent. §. fin. quæst. 36. num. 26. LOPEZ additam. ad pract. crimin. BERNARDI DIAZ. cap. 55. col. 6. et 7. hodiernum obseruatur. Imo occidens arma portantem Clericum non-admittit ad Curiam, c. perpendimus ext. de sentent. Eccles. Ratio peruulgata est in c. conuenior 23. quæst. 8. quod eorum arma sint preces et lacrymae, quodque DEO militantes non possint sese implicare negotiis secularibus 2. Timoth. 2. vers. 4. Cum militum Christi sit, Christo seruire, non seculo, c. reprehensibile 23. q. 8. Vnde iure feudali eo ipso, quod vasallus votum religionis assumit, arma deponere cogitur, nec ea vnquam recipere potest, d. 2. F. 2 r. 26. et 109. Et cur arma gestarent, qui etiam in medio armorum strepitu ab armis sint tuti? PETRIN. BÉLLVS de re milit. par. 2. tom. 9. num. 4. Reformation zu Franckfurt tit. Wer in offenen Feilden gefreyet seyn soll. BECHT. tr. de securit. et salu. conduct. class. 3. th. 220. et seq.

V. Vbi tamen iterum necessitatis casus excipiendus videtur, (etsi neque haec, vt dixi supra, exceptio proprie est) vt contra vim tuta sibi, tum patriae illatam armis sese defendere possint, c. olim causam, ibi: vim vi duxeritis repellendam ext. de restitut. spoliat. c. cum praesentium 3. de Clerico percussore, c. dilecto, de sentent. excommun. vbi Gl. et Dd. cum vim et iniuriam simpliciter et indistincte cuius repellere liceat, l. vim vi 3. D. de iust. et iur. l. scientiam 45. §. qui cum aliter 4. D. ad leg. Aquil. et Presbytero, dum sacra facit, vim extremam intentantem concessum erit occidere, protinusque coepta sacra citra vllam irregularitatem perficere. ABEAS in c. Clerici, col. 1. num. 2. extr. de vit. et honest. Clericor. ZOANNEFT. par. 1. tripart. defens. num. 12. et 13. Quod tamen ita intelligendum esse monet ALOIS. RICCIUS decis. Cur. Archiepiscop. Neapolit. 48. in fine. si Clericus in actu defensionis aliunde arma arripuerit, secus si ipse portauerit, iisque postea in defensionis actu vsus fuerit;

fuerit; quia tunc de bello et rixa cogitasse videatur: Atque ita saepius practicum et decisum fuisse refert. Quo modo restringenda forsitan erit sententia DECIANI 8. *tract. crimin. 3. num. 23.* dum simpliciter Clericis arma etiam contra praedones prohibita esse enunciat, per *text. in C. ult. de Cleric. percussor.* Eadem ratione, si ciuitas ab hoste oppugnetur, Clerici quoque arma defensionis ergo sumere possunt, *c. petitio tua, ibi: tam Clericis, quam Laicis ext. de homicid. voluntar. vel casual.* et armati vigilias obire, *c. peruenit ext. de immunit. Eccles.* ita tamen, vt, vbi alii milites accesserint praestoque fuerint, illi potius rebus suis inuigilent. Dn. CLVTEN. *diatrib. Instit. 3. th. 8.* Quanquam autem in castris etiam versari Clerici possint, vt milites instruant, et sacram coenam administrent, illosque contra inimicos et oppressores fidei excitent, *c. igitur 23. q. 8. Deuterom. 20. vers. 2. Numer. 10. vers. 8.* Tamen vt citra dictum necessitatis casum arma induere, et cum hoste depugnare ausing, etiamnum ab illorum professione alienum esse videtur.

VI. Sane ex quo baculus Aaronis et gladius Nimrodi vna manu regi coepit, vt loquitur autor autonomiae BVRKARDVS *par. 3. cap. 32.* et Episcopi non quidem iuxta Euangelicum, sed politicum canonem, LAVRENT. OHM. *de iur. Episcop. th. 10.* duplicem personam gerere, et vna parte Clerici, altera Duces salutar, altero pugno Codicem, altero ensem gestare coeperunt, (cuius rei initium vulgo ad Brunonem, 26. Colonienſium Archiepiscopum, Ottonis M. fratrem referunt, qui Augusti auctoritate fretus primus Remp. tractauerit, cum ante illum Episcopi tantum sacris praecessent. BESOLD. *r. Polit. 2. vers. 26. p. 69.*) ipsi etiam, vt reliqui Principes seculares, non solum in iurisdictione sua exercenda armis vtuntur, *c. igitur 23. q. 8. c. auctoritatem 15. q. 6. c. dilecto de sentent. excommuni. in 6.* THOMAS MICHAEL *de iurisdic. th. 84.* quemadmodum et reliquis Regalibus, PRVCKMAN. *de Regal. cap. 4. num. 43.* et iamdudum ARNOLD. BRIXIANVS haereſeos damnatus est, Anno 1197. praesentibus mille antistitibus, quod Episcopos Regalia habere negasset. SIGON. *lib. 11. de regn. Italiae.* IVST. SINOLE. *de vicar. Imper th. 20. lit. B.* Sed et armorum gestationem iure quodam huius hypotheseos sibi vindicant, (vide, quae de IVLIO II. Pont. Max. post GVICCIARD. *lib. 9.* scribit WOLFFEVS *Cent. 16. rer. memorab.* et quod in ore omnium est de Bonifacio VIII. qui, cum ALBERTVS I. coronam Imperialem ab eo peteret, gladio accinctus et corona Imperatoria ornatus in publicum protulit, exclamans: Ego sum Caesar et Pontifex!

tifex! post alios DAN. OTTON. *cap. 5. iur. publ. p. m. 69*) vt nec hodie desint, qui armis accingi soleant. Ita nonnemo de E. M. I. S: Vestis illi plane Ciuilis est, sine vilo conspicuo dignitatis ornamento, toga domestica aut pallium succinctum, caligae et thorax Hispanicum in morem, gladio quoque accingitur, vbi foras exit. Atque vtinam hoc sine staret licentia, nec verum esset, quod de Gallis PETRIN. BELLVS *d. l. par. 1. tom. 8. n. 6.* scribit, quod illorum Episcopos arma tractantes, eosque truculentos et saenos viderit, quasi omnia Romanorum Pontificibus similes esse debeant, qui in Armilustrio ipsi etiam armati comparebant, v. ALEX. ab ALEX. *genial. diar. lib. 5. cap. 27.* GODELEV. *not. ad lib. 27.* LIVII *p. m. 84.* ¶ Caeterum hoc ius Dd. etiam ad familiam Episcopi extendunt; cum enim is habeat merum et mixtum imperium, inquit BALDVS *in d. l. nam ad salutem 3. §. fin. D. de praes. vigil.* in sua dioecesi; etiam hanc dignitatis praerogatiuam habebit: Itemque ad officiales Legati de Laterane. vide supra *cap. 6. in fin.*

(3) Mercatores et alii plebei.

VII. Porro conditione infra dignitatem posita arcentur regulariter ab hoc iure (3) *Mercatores*. De cuius prohibitionis ratione sciscitanti Dd. com. respondent, dignitati illam officere, cum actus contrarius nobilium dignitati dicatur, *l. nobiles 3. C. de commerciis l. 1. C. de natural. liber. l. milites 31. C. de locat.* Vnde illud PHIL. HONOR. *relat. de Regno Gallico*, in haec verba prorumpentis: *Mercatores, quia pecuniam possident, hisce temporibus plurimum gratia valent, verum nulla gaudent praerogatiua et dignitate, quoniam omnis lucri auida professio nobilitatem in eo regno maculat.* Faciunt ea, quae de mercatura plebeiis relinquenda Politici disputant post BODIN. *3. de Rep. 8.* P. GREGOR. *4. de Republ. 7. num. 5.* MYNSINGER. *6. Obseruat 54.* KIRCHNER. *disp. de Rep. 13. th. 1.* Iuuat et, quod FRIDERICVS I. *Imp. 2. F. 27. §. 5.* ne quidem in ipso itinere arma mercatoribus concedit, quam vt ea sellae suae alligent, aut super vehiculum ponant; neutiquam, vt iis accingantur. Et tamen vt alias consuetudo in dignitatis aestimatione attendenda venit, GVILIELM. de MONTFERRAT *tr. de success. reg. dubio 1. num 46.* GVTTIEREZ *4. practicab. quae. 16. num. 137.* Ita neque hoc in articulo negligenda est. Vide post innumeros Colleg. Argent. *tit. de Institor. act. th. 4.* De reliquis artificibus manuariis non puto quemquam dubitaturum, quin ab hoc dignitatis insigni excludantur. *l. ne quis 6. C. de dignitat.* De rusticis est *§. si quis rusticus d. 2. F. 27.*

(4) Infa-

(4) *Infames.*

VIII. Tandem (4) conditione dignitati contraria excluduntur omnes *sententia famosa damnati. l. infamibus 2. C. d. t.* Quod et de *baiulis, cerdonibus*, et aliis infimae fecis hominibus, indubitatum est. Lutetiae Parisiorum ne breuissimos quidem gladios baiulis ferre licet, quod antea in contentionibus, quibus saepissime implicantur; ad caedem irati prorumperent. *BODIN. 4. de Rep 7. num. 487.* Huc quoque accersendi Iudaei, qui honorum et dignitatum omnino incapaces, *l. fin. pr. C. de Iudaeis c. 16. et pen. eod. Nov. 45.* proque gladiis clauum seu anulum flauum portare debent. *Ordinat. Polit. de anno 1530. tit. Von der Juden Kleidung.*

(5) *Peregrini.*

IX. Vltimo (5) iurium publicorum et ciuiliu incapacitate arma in Rep. ferre vetantur *peregrini*, per ea, quae habet *Dn. GODOFR. ad l. I. C. de haered. instit. BODIN. I. de Rep. 5. num. 47.* nisi quatenus legationis aut alio munere cum dignitate coniuncto in ea funguntur: verum vsus huius rei magister est.

CAPVT OCTAVVM.

QVIBVS CASIBVS ARMORVM VSVS, ALIOQVIN
PROHIBITVS, EXTRAORDINARIE
LICITVS SIT.

I. Sed quae modo de Ciuibus, quibus arma gestare fas non est, enarrata sunt, nonnullas patiuntur exceptiones. Neque vero illud hic repetendum duco, quod iam antea de *Superioris concessione* dicere occupavi, cum is vel omnibus, quibus regulariter arma gestare prohibitum est, ciuibus facultatem hanc confert; quod ingruente bellorum tempestate, aut ob solennitatem aliamque causam fieri solet, veluti in aliis ciuitatibus Imperialibus, cum conciones sacrae habentur, aut publici mercatus celebrantur, ciues armati et quasi in procinctu esse tenentur: aut etiam cum singulis aliquibus armorum gestationem concedit, *DECIAN. d. cap. 3. num. 58.* Quibus casibus, licet per ius commune seu statutum sit prohibitum arma gestare, licetque Magistratus seruare

seruare statuta iurauerit, tamen dispositio haec ex causa praegnante contra statutum obtinet. SOCIN. *reg. 48. fallent. ult.* per nostram *l. vn. ibi: nobis insciis.* Saltem illas causas, ob quas iure communi etiam excusatur armorum gestatio nunc consideremus.

Causae armorum gestationem excusantes. (I) Venatio.

II. Vbi in L. Iulia (I) se offert *Venatio.* Quia enim venatio ferarum, praecipue maiorum, sine armis exerceri nequit, WESEN. *parat. D. de acq. rer. domin. n. 7.* praetereaque multa venatoribus extransuerso et inopinato accidere solent; ideo arma habere licet, vt quis in venatione iis vtatur, *l. 1. ad L. Iul. de vi publ.* Vnde forsitan illud promanauit, quod Dd. statuunt, quod si Venator in actu venationis se lo-peto quem transfixerit, eum nec lege Cornelia nec Aquilia teneri. CO-VARR. in *Clement. vn. de homicid. par. 2. §. 4. num. 1.* SEBAST. MEDICES *de venat. par. 2. quaest. 9.* Tormentis tamen, nisi ad noxias bestias tollendas rusticis vti non licere notant Dd. in *d. §. si quis rusticus 5. vers. nemo retia,* vbi ISERNIA et ALVAROTTVS *2. F. 27.*

§ Hanc porro licentiam ipsam, armis, inquam, in venatione vtendi, adimi, cum Superior Edicto *de venatione armorum prohibet,* statuit DECIAN. *d. cap. 3. n. 35.* Ne enim, inquit, Superior nihil noui post ius commune decreuisse videatur, etiam hi casus prohibiti censentur, vt ne venationis gratia portare arma liceat. At enim (I) nec superuacaneum, nec infrequens est, ius commune nouis legibus confirmari, praesertim desuetudine inumbratum, *§. in quibus 5. proqem. Instit.* Quocirca (2) et hoc loco potius ad ius commune censetur reditum, per ea, quae *d. inf. cap. 13.* Plane si Superior et hunc casum in prohibitione expresserit, haud dubie nec in venatione armis vti licebit. Qua ratione L. Domitius, cum Siciliam Praetor regeret, et ad eum eximiae magnitudinis aper allatus esset, adduci ad se pastorem, cuius manu occisus erat, iussit, interrogatumque, quo telo confecisset, postquam venabulum suum comperit, cruci suffixit, non tam ob interemtam bestiam, quam quod ipse ad exturbanda latrocinia, quibus Prouincia vastabatur, *ne quis telum haberet,* edixerat. CICERO *Verrina 7.* et ex eo VAL. MAX. *lib. 6. cap. 3.* RICHARD. DIETER. *de summa summi Imper. potest. th. 55:* vbi nullum aliud apud Ethnicos extare amplius exemplum putat, cuiusmodi ob bestiam hominis. (Quaquam neque ob bestiam id factum, vt dicitur.) Neque tamen propius abhudit, quod apud HERODOTUM legitur, vbi

Mega-

Megabyzus Persa, quod leonem in venatione in pedes sese contra Artaxerxem Regem erigentem, iaculo occidisset, decollari a Rege indignante est iussus, quod contra Persarum statutum feram caedere occupasset, antequam ipse telum in eam misisset; referente DAN. OTTONE *cap. 1. iur. pub. p. m. 9.* Simile exemplum de Basilio Rege refert KECKERMAN. *disp. extraord. de Monarch. Persar. apbor. 5.*

¶ Qua occasione, an ob feram globo transfixam capitis supplicium cuiquam sit irrogandum, videri potest WESENBECK. *parat. D. de acquir. rer. domin. num. 7.* GAIL. 2. *obs. 68. num. 10.* et alii allegati apud Dn. CLVTEN. *diatrib. ad t. Instit. de rerum diuis. tb. 10.* Certe si Princeps poenam capitis edicto promulgauerit, affirmatiua non improbabiler defendi potest. Vide BACHOV. 2. *disp. Treutler. 20. tb. 3. lit. A.*

(2) Iter.

III. Iter etiam (2) tam terrestre quam maritimum arma gerenti excusationem praestat, *d. l. 1. D. ad L. Iul. de vi pub.* vbi BARTOL. et ANGELVS *num. 3.* quod ad Clericos nominatim trahit BVTR. *in c. Clerici ext. de vit. et honest. Clericor.* et de mercatore, quod negotiandi causâ Prouinciam pertransiens, gladium suum fellae alligare vel super vehiculum ponere possit, textus est expressus *in d. §. si quis rusticus 5. vers. mercator 2. F. 27.* Quae verba non ita sunt accipienda, ac si arma ligata gestare debeat, quemadmodum Dd. vulgo perinepte textum illum sumant, quos sequitur SOCIN. *reg. 47. fallent. 3.* Cum enim hoc ideo mercatori concessum sit, vt a praedone se defendere possit; vt paulo post dicitur, quomodo aduersum repertinos insultus arma ligata expedire poterit? Sed quod, si equo vehatur, gladium ephippio annectere: aut si vehiculo vtatur, in illud eundem reponere possit. MENOCH. *de A. I. Q. d. cas. 394. num. 65. et seqq.* Cui iniuriam facit DECIAN. *d. cap. 3. num. 34.* dum contra ipsius assertionem negat, vltos Dd. *ex d. §. 5.* ita ratiocinari, quod quis in itinere arma ligata portare debeat: Inspiciatur saltem SOCINVS *d. l.* Alias elegantem rationem DECIAN. *ibid.* pro modo allata *d. §.* explicatione adnectit, quod cum vna determinatio per se determinata non possit difformiter determinare: In isto autem §. una determinatione duo casus definiantur sc. vt aut alliget fellae, aut reponat in currum; ideo altera non possit difformiter intelligi, h. e. cum loquatur de alligatione in sella, non ea exaudiri alligatio,

L

tio,

tio, quae impediret liberam euagationem: Et tamen paulo post ipse in has ineptias, a quibus Doctores omnes purgare volebat, prolabi videtur, dum *num. 56.* scribit: Declarationem istam, quod quis in itinere arma ligata portare debeat, locum habere posse, si quis ex itinere reuersus per urbem ambulare velit, armaque ligata habere: Alias enim, inquit, si in ciuitate semper manens arma ligata ferret, faceret id animo Edictum eludendi. Neque enim is in itinere esse negari potest, qui nondum ad possessiones suas peruenit, *arg. l. clam possidere 6. in fin. D. de acquir. vel amittend. possess.*

IV. Quare autem his et similibus permitta sit armorum gestatio, ratio perspicua est *in d. cap. vt sc a praedonibus se defendant.* Et enim licet hoc vel maxime ad officium Magistratus pertineat, curare, vt itinera tuta sint et secura; vim contra, praedas, iniurias illinc prohibere, grassatores per subditos et officiales exquirere, mutuaque vicinis auxilia hanc ad rem conferre, *l. congruit 13. pr. D. de offic. Praesid. l. Lege Julia 4. §. mandatis 2. D. ad L. Iul. peculat. Recess. Imper. de anno 1548. §. ferner. Landfried eodem anno circa fin. pr. Recess. Imper. anni 1555. §. nachdem aber. Anni 1559. §. und haben uns. Anni 1566. §. nachdem aber.* nisi ad damna depraedatis refarcienda teneri velit ZAS. *conf. 14 MARQ. FREHER. not. ad P. de ANDLO lib. 2. cap. 8. pr. praesertim si paedagium vel vectigal ea de causa sit solutum, Recess. Imper. de anno 1559. §. damit dann die Obrigkeit. COLER. de process. execut. par. 1. cap. 2. num. 296. SCHNEIDEW. cap. vn. num. 115. quae sint regalia 2. F. 55. BORCHOLT. ibid. num. 28. DAN. OTTO. cap. 11. iur. pub. pag. m. 290.* Quia tamen tanta est hominum malitia, tantus habendi et per fas nefasque pecunias corradendi amor et cupiditas, vt nulli carceres, nullae cruces, nullae rotae auerruncando huic malo sufficiant, WESENB. *parat. de furt. pr. inualescentibus indies in hoc furioso mundi exitu delictis, idem ad L. Cornel. de sicar. num. 1.* Idcirco omnino viatoribus, ad sui suorumque bonorum defensionem arma concedenda fuere, ne post vulneratam causam remedium quaerere cogerentur malo, quod possunt anteuertere, strenue contra aggressores se gerendo, id quod impune possunt, etiam vsque ad mortem aggressorum, *l. itaque si 4. pr. D. ad l. Aquil. §. iniuriam 2. Inst. eod. t. t. C. quand lic. vnic. fm. tud. l. si vi al. legas 4. cum l. seq. C. ad l. Cornel. de sicar. PAVL. §. sent. tit. ad L. Cornel. de sicar.*

V. Illud

V. Illud tamen hic praetereundum non est, quod apud Italos et Hispanos in vsu esse accepimus, vt neminem arma vrbibus inferre patiantur, etsi e vestigio recta transire velit, sed ablata in vna porta, in altera restituant: Alibi funiculo gladium ad vaginam alligent. LIPS. 1. *Electtor.* 23. p. 428. Quod et in aliquibus Germania vrbibus munitis seruatur, ad imitationem forte veterum Massiliensium, de quibus VALER MAX. *lib. 2. cap. 26* ait: Intrare oppidum illorum nulli cum telo licet, praestoque est, qui id custodiae gratia acceptum, abituro reddat, vt hospitia sua, quemadmodum venientibus humana sunt, ita sibi hospitia praestantibus sint tuta. Et sigillatim de forensibus seu mercatoribus notant Dd. statuta armorum vsum prohibentia comprehendere quoque forenses, licet ignorantes tale statutum, cum percontari debeat de eo iure ciuitatem aliquam intrans. DECIAN. 8. *tract. crimin.* 3. *num.* 19. et 26.

VI. De Iudaeis iter facientibus, aut mercaturam exercentibus, specialiter in Germania dispositum in Constitutione quadam FERDINANDI I. Imp. concernente *die Landvogtey Hagenaw de anno 1561.* art. ult. ibi: *Es sollen auch die Juden binsüro in unser Landvogtey Hagenaw kein Webr, oder sonderlich, kein lange Waffen, auch Büchsen, Wurfsbeibel, und andere verbotene Waffen, führen oder tragen; sondern so sie also in Städten zu handeln haben, dieselben Waffen und Webrren unter jedem Thor, oder in ihren Herbergen, lassen. Aber Brodmesser, kleine Dölch und Weidner, die mögen sie wohl tragen, desgleichen auf dem Land außserhalb der Stadt mögen sie die andern ihre Webr und Waffen auch führen und tragen. Welcher Jud sich aber der Waffen nicht massen würde, der soll jedesmal, so offtz er das übertritt, mit drey Gülden gestrafft werden.*

Aliae: III.

VII. Limitat praeterea prohibitionem huius armorum vsus DECIAN. *d. cap. 3. num. 34.* et SOCIN. *reg. 47. fallent. 2.* vt locum non habeat in eo, qui ad possessiones suas extra urbem ire vellet, quasi in rem SOCINVS per incuriam producit textum, *l. fin. C. de prox. sacr. scrip. lib. 12.* cum allegare debuerit *l. iubemus ult. C. de praepos. sacr. cubic.* vbi dicitur, Praepositos sacri cubiculi deposita administratione, in ordinem Senatorum adscribi, iisque extra urbem proficiscentibus cingulo militari vti licere: Ex qua contrarium de iure Ciuili colligitur, prohibitionem sc. huius *l. vn.* tempore ANASTASII Imp. (qui centum

amplius annos post Imperatores nostros vixit) in tam viridi fuisse obseruantia, vt Viri Illustres multis precibus hoc tantum ab Imp. contenderent, quo ipsis ad possessiones suas euntibus cingulo vti liceret. Nec obstat, quod generaliter assertum fuit ex *l. 1. D. ad L. lul. de vi pub. iter* facientibus arma portare licere: Vel enim dicta lege vnica itineris etiam causa fuit abrogata, per tradita *sup. cap. 4.* vel *d. lex vlt.* accipienda erit, non de longiori itinere, sed de excursu ad villas conterminas (vt ita coniunctis illis tribus legibus, puta *d. l. vlt. d. l. 1. et d. l. vn.* haec differentia constituatur, licere longioris itineris causa arma ferre, non in solo excursu in suburbanas villas) vel denique non de armis tantum ad iter comparatis, sed honoris etiam signaculis, per illa verba legis, *cingulo vti* etc. ¶ Equidem ratio posterior *d. l. fin.* quod haec licentia ad nullius laesionem respiciat, patrocinari videtur promiscuae consuetudini, qua hodie plerique in villas suas excurrentes armis sese accingunt.

IV. et V. Sed reuiculae.

VIII. Tandem et alias duas causas, quae armorum gestationem excusent ex *d. l. 2. D. ad l. lul. de vi publ.* comminiscuntur Dd. nempe vt et commercii causa arma impune liceat transferre, et oblata in haereditate, detinere. DECIAN. *d. cap. 3. num. 35. et 36.* Verum vtraque impertinens est: Nam quod ad priorem, translatio illa armorum mercaturae causae, non continet talem armorum vsum, de quo nunc disquirimus; in posteriori autem ius possidendi et gestandi arma euidenter confunditur. *v. sup. cap. 3. th. 14.*

CAPVT NONVM.

QVAENAM GENERA ARMORVM IN CON-
CESSIONE ET PROHIBITIONE ARMORVM
COMPREHENDANTVR.

I. Vidimus personas, quae armis siue ordinariis siue extraordinariis vti possunt, vel non: sequitur vt definiamus, *quaenam arma* potissimum in concessione aut prohibitione intelligantur comprehensa, hoc est, an ii, quibus concessum est armis vti, omnibus promiscue vti possint;

sint; et e diuerso, an ii, quibus armorum vsus prohibitus est, ab omnibus indistincte arceantur.

Declarationes Dd. tum ratione prohibitionis,

II. *Quantum ad prohibitionem*, Dd. supra dicta limitant, quod armis prohibitis poena cesset, vbi quis arma ad panem incidendum, vel ad aptandum pennas portauerit, per *c. lator ext. de homicid. SOCIN. d. reg. 47. fallent. 4.* Veruntamen, quia in ista materia, cum de armorum gestatione loquimur, cultelli minores armorum appellatione non veniunt, vti *d. sup. in protbeor.* quemadmodum et ab ipso IVSTINIANO remouentur in *cap. vlt. d. Nou. 85.* Ideo haec limitatio, tanquam ratione dubitandi destituta, superuacanea est, *arg. l. 1. ad municip.* Ita CLARVS *lib. 5. receptar. sent. §. fin. quaest. 82.* testatur, Senatam Mediolanensem in causa cuiusdam Benedicti della Matthiola iudicasse, quod cultellus armorum appellatione non comprehendatur. § Intelligendi tamen sunt cultelli modo definiti: Nam quod ad cultros, quos Itali a *fronde d' Oliva* vocant, definitum est in Curia Archiepisc. Neapol. quod Edictum poenas imponens portantibus pugiones et stiletos, etiam locum sibi vindicet in portante talem cultrum duorum palmorum. I. ALOIS, RICCIUS *decif. 122. d. Curiae.* An pallini et pilae statuto armorum gestacionem prohibente contineantur, vide ANT. MONACHI *decif. Lucensi 38. num. 16. et 19.*

III. Magis autem inepta est illa Dd. limitatio, quod armorum statuto prohibitorum nomine non denotentur dentes, et alia ferarum arma, in qua demonstranda desudat etiam DECIAN. *d. l. lib. 8. tract. crimin. cap. 2. num. 8.* Vid. *dicta sup. in protbeorja ib. 2.*

IV. Insuper ista quoque dubitatione Dd. prohibitionem declarant: Quod si statuto cauetur, vt portans arma offendibilia, vti loquuntur, puniatur, et aliquis portet arma defensibilia seu defensiuia, pua, tabulam et similia, quae possunt esse offendibilia, an puniatur poena statuti? Et BART. *in l. pediculis 32. §. argento 2. D. de aur. et argent. leg.* inspiciendam esse dicit consuetudinem, et ad quem actum quis illis vtatur, seu, qua intentione illa portet. § Exemplum de tabula ambiguum esse videtur, et si *sumatur simpliciter*, prout sonat, armorum appellatione non venit, adeoque licet quis portans tabulam, eadem aliquem offenderit, poena gestantium arma deo puniendus non venit: Si

pro scuto; tum dubitandum non est, hoc etiam armorum genus, quod defensionem magis quam offensionem inferuit, in prohibitionem intelligi, per dicta supra in *protheor. th. 3. arg. d. l. vn. ibi: Quorumlibet armorum*, quae distinctio, vti vniuersalis, omnia comprehendit, GRAMM. *decif. 4.* RAVDENS. *de analog. c. 12.* facitque, vt dispositio, quae restrictionem alias reciperet, non recipiat. CACHERAN. *decif. 94. num. 11.* BOER. *decif. 158.* Itaque recte DECIAN. in *tract. crimin. lib. 8. cap. 3. num. 14.* contendit, poenam arma gestantibus praestitutam non solum verificari in armis offensiuis, sed etiam paratis ad tutelam: Quia, licet hoc armorum genus corpus defendat, facit tamen hominem etiam audaciorem ad delinquendum. AFFLICT. in *Constitut. incipit, intentionis num. 32.* Vbi tamen id declarat, nisi se armarit animo pugnis aliquem offendendi, ne ipse offenderetur ab eo, quem intendebat offendere: sed factum illicitum alteri patrocinari non debet. Vide IASON. *ad §. ex maleficiis 18. Inst. de action. num. 82.* MENOCH. *d. cas. 394. num. 46. et seqq.*

V. Illa Doctorum limitatio notabilior est, quod poena prohibitionis statutaria cesset, si quis arma portet inepta ad *nocendum*. Ita RICCIUS refert in *d. decif. Curiae Neapolit. 93.* iudicatum fuisse, vt Clericus, qui archibusetum gestauerat, verum absque silice siue fuclli, canibusque ferreis, absolutus fuerit a poena Synodi Prouincialis Neapolitanae contra portantes arma; cum talia non portauerit, quae vere apta sunt ad nocendum, *arg. l. Quintus Mutius 27. §. cui aurum 3. D. de aur. et argent. leg.* DECLANVS in hisce terminis *conf. 122.* Quomodo et arma palaestrica seu rudes, quibus gladiatores batuere solent, non venient *armorum* prohibitionem, quippe quae non acuta vel comparata sunt ad nocendum, sed solum liberalis exercitii gratia habentur, de quo GVMPELTZHAIM. *de exercit. Academ. par. 3. sect. 3. th. 7.*

tum concessiois,

VI. *Quantum ad concessionem*; Ii, quibus arma hodie gestare licet, vel ad defensionem ea gestant, vt milites, viatores, venatores, et iis, cum in expeditione, itinere, venationeue sunt, omni armorum genere haud dubie vti regulariter permiffum est; vel dignitatis ergo, vti supra dictum, et his non conuenire, ad hunc solum finem, videntur bombardae, sclopeti, pugiones, quos stilletos vocant, nec reliqua etiam arma defensiva, quae non ex dignitate geruntur. Quo fine KECKERMAN. *I. Polit. 22.* Principi praescribit, vt prohibeat, ne subdola arma

ma gerantur, veluti fidae et eiusmodi alia, nunc bombardae et sclopetae temere explodantur.

§ In Galliis sane omnibus indistincte (extra militiam) FRANCISCVS I. et HENRICVS II. CAROLVS IX. HENRICVS IV. variis Edictis sclopetorum vsus prohibuerunt CODE HENRY lib. 8. t. 7. *des ports d'armes*. THVAN. lib. 4. *hystor. et lib. 48*. Et de pugionum genere, quod *Stilletum* vocari diximus, testatur ANT. FABER in *Cod. suo lib. 9. tit. 10. definit. 11. num. 7*. quod illud ceu ad insidias aptissimum omnium et periculosissimum ipsis etiam militibus, non in Sabaudia solum, sed in tota Italia et alibi fere vbique sub capitis poena prohibitum sit, quodque ex eo teli genere animus occidendi probetur. Ita Curiae Archiepisc. Neapol. Edicti verba sonant: *Condenniamo alla pena de galera tutti quelli clerici li quali saranno ritrovati portare Archibusetti, Pistole, Pugnali, Stiletti et altri armi simili*. RICCIUS d. *decif. 127*. § Sane arma venenata gestare omnino prohibitum est. MENOCH. de *A. I. Q. d. cas. 394. num. 41*. Nam et is, qui venenum necandi hominis causa habuerit, Lege Cornelia tenetur, *l. eiusdem legis 3. pr. ad L. Cornel. de sicar.* et huiusmodi armorum genera etiam in duellis concessis reprobantur. DECIAN. 8. *tract. crimin. 3. num. 29*.

CAPVT DECIMVM.

QVIBVS MODIS ARMORVM VSVS CONCEDATVR AVT PROHIBEATVR.

I. **D**ictum fuit haecenus, quoniam arma concedere possint, quod ad efficiendam pertinet; qui item arma portare possint vel non, subiecti loco; vt et obiecti vice, quaenam arma in prohibitione aut concessione intelligantur. Nunc methodus efflagitat, vt occasione *Formae* attingamus, quemadmodum armorum vsus aut prohiberi aut concedi, et postea quomodo vsurpari ius concessum recte debeat.

Olim per expressam concessionem tantum hoc ius conferebatur; Hodie etiam per tacitam:

II. Rationem et formam concedendi ius armorum quod attinet,

net, Doctores communiter concessionem *expressam* requirunt, nec licere cuiquam arma portare statuunt contra prohibitionem, utcumque Princeps sciat, si non exerte hoc permittat: Quod iam supra *in fin. cap. 4.* annotatum, et DECIAN. *d. lib. 8. cap. 3. num. 28.* ex verbis *d. l. vn. nobis insciis atque inconsultis* idem colligit: Quod Imp. non satis habuerint dicere, *insciis*, ne a contrario sensu possit inferri, ergo scientibus illis licet; sed addidisse, *atque inconsultis*, quod diuersum esse arguit copula, quae ponitur inter diuersa. Ergo porro infert, si requiritur consilium Principis, praesupponitur responsio ad consultationem vel affirmatiua, vel negatiua: Si negauit, contra voluntatem Principis quis gereret; adeoque requiritur licentia expressa, quia hoc casu in prohibitis scientia non inducit mandatum. Quae omnia ad rationem status anterioris et iuris Ciuilibus exigenda sunt: Plane cum hodie contraria consuetudine armorum gestationem pene vbiuis receptam esse fateatur, *loco supra citato cap. 6.* haec autem sola Magistratus patientia inducatur, WESSENB. *parat. D. de Legib. num. 9.* non videtur praecise requiri assensus expressus, nisi denuo Edicto id caueatur, ut nemo subditorum, cuiuscunque ordinis et dignitatis sit, arma gerat: Vbi tamen iterum DECIANVS, immemor quasi prioris sententiae, per *l. ult. C. de Fabricens. lib. 11.* probat, quod licentia etiam quandoque detur dissimulando, seu iubendo officiales, ut conniuentibus oculis pertranseant, si videant talem arma-ferentem; et hoc ideo, ne, si expresse concederent, ab aliis etiam ea de re importunis flagitationibus sollicitarentur.

Expresse confertur, non tam per cingulum praestitum, Militibus, Magistratibus,

III. Ratum proinde et firmum manet, quod supra *cap. 4.* dictum est, armorum gestationem concedi vel expresse, vel, hodie praefertim, tacite. *Expresse concessio* fit ab eo, qui potestatem eius iuris conferendi habet, qua de re itidem actum ibidem: Modus huius expressae concessionis non vnus est. Quibus tamen perperam connumerantur sequentes: Primo mos *cingendorum* militum, de quo *cap. 6.* actum est: quia hoc non ad nudam armorum gestationem pertinet, sed ad delectum militarem et tironum militiae adscribendorum rationem. Peius adhuc istuc refertur cingulum Ciuicorum magistratuum: quia dignitatis collationem haec res continebat, non ius gladii gestandi, hinc *cingulum* pro administratione seu munere, itemque dignitate et titulo dignitatis etc. in Codice passim vsurpatur.

Equi-

Equitibus,

IV. Neque huc etiam pertinet ea *cingendi* ratio, qua *Equites* olim post commissum praelium ex iis, qui se bene gesserant, a Principe vel eius Legato, fiebant, VINCENT. LVPANVS *de magistrat. et praefect. Francor. lib. 1.* qui hodie plerumque post coronationes Regum creantur, percussis gladio euaginato leuiter eorum humeris, qui ordinem hunc mereri visi sunt. DAN. OTTO *de iur. publ. cap. 10. p. m. 200.* Ita de Rege Poloniae CROMERVS *lib. 1. Poloniae:* Deinde (post coronationis solennia) inquit, versus quatuor mundi plagas gladium Rex vibrat, rursusque residens, eius contactu siue leni ictu inter scapulas cuiusque, Nobiles Equitesque auratos creat, quod perinde est, ac si balteo militari donet. Quod idem in Vngariae Regno aliisque seruatur. Sic de Angliae Rege THOM. SMITH. *lib. 1. de Republ. Anglor.* Equites Vexilliferi in acie fiunt, abscissa vexilli cuspide in formam signi militaris, sed iste ordo per Angliam fere exoleuit. Equites Balearii, in ipsis Regum sacrandorum celebritatibus, non sine prolixis et curiosis caeremoniis insigniuntur, veluti, quod Candidatus dignitatis genu nixus, ense euaginato in tergum aut humeros feritur, loquente in haec verba Principe: *Soyez Chevalier au nom de Dieu*, etc. Atque iste cingendi mos vti iam obtinet, ita semper *cingendi* Equites, non, *creandi*, phrasis longe fuit antiquissima. Haec ille. Friuolum etiam est, quod LVCAS de PENNA *ad l. bis alias 5. C. qui milit. poss. vel non, num. 2. ex 2. Macchab. cap. ult. vers. 15.* probare nititur, gladium, quo quis cingatur, aureum seu deauratum esse debere: per ea, quae de armorum ornatu negligendo apud politicos disputantur.

Licet moribus Magnates ministros suos fere per cingulum eo iure donent.

V. Propius omnino accedit consuetudo, qua Principes et Nobiles ministris suis perfectam aetatem adeptis, impaeto colapho, (quo primae aetatis nugis et ineptiis colophonem se imponere significant, et simul eum ex potestate dimissum declarant, BALD. *in l. 1. §. miles und. de testam. milit.*) adiectis illis verbis: *das leid von mir, und von keinem andern*, denique donato gladio, ius illum gestandi concedunt, *sie machen sie wehrhafftig*. ROSIN. *1. antiquitat. Roman. 20.* SCHOENBORN. *6. Polit. 13.* NOLDEN *de stat. nobil. th. 51.* Vbi hoc nonnihil antiquam manumissionem sapere scribit, qua dominus caput aliudue serui membrum tenebat, ac praefatus, *hominem liberum esse volo*, eum manu versum, infracta manu seu impaeto colapho potestate sua emittebat. WE-

M

SEN-

90 Caput decimum. Quibus modis armor. vfus conced. etc.

SENBEK. *parat. D. de manumiff. num. 2. Dd. ad f. praeterea 6. Inft quib. mod. patr. potest. foluit.* Simile quid de Germanis memorat TACIT. *de morib. German. cap. 13.* Arma, inquit, fumere non ante cuiquam moris, quam ciuitas fuffecturum probauerit: Tum in ipfo concilio principum aliquis, vel pater, vel propinquus, feuto frameaque iuuenem ornant: Haec apud illos toga, hic primus iuuentae honos; ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicae. Vide LIPS. *in not. ibid. num. 44. et caput fequens TACITI.*

Quam per edictum aut priuilegium.

VI. Maxime illa expreffa concessio est, cum publico Edicto aut voce praeconiſ arma Ciuibus imperantur, aut alicui, ex fingulari gratia superioris, contra prohibitionem hoc ius conceditur, cuius rei exemplum haberi putant nonnulli *in d. l. fin. C. de praepof. sacr. cubic.*

Tacite autem per vfum diuturnum etc.

VII. Hodie quoque tacita armorum concessio fit, per vfum eorum, qui non ex praemiffis caufis diferte prohibentur. *arg. Nou. 89. cap. 15. ibi: Quoniam et non vtendo l. fi de interpretatione 37. et feqq. D. de legib. Colleg. Argent. ad l. Iul. de vi publ. d. ib. 3. man. 4. et patientiam Superioris TREVTL. 1. disp. 1. ib. 9. lit. D.* Et huiusmodi confuetudo expreffo statuto equipollet CRAVETT. *conf. 137. num. 2. et 3. et conf. 241. num. 7. CVRT. tract. feud. quaest. 3. num. 5. per l. de quibus 32. vbi gl. et Dd. D. de legib.*

Quae ead. in prohibitione ferme obtinent.

VIII. Confimili ratione et prohibitio vel expreffa est, vel tacita: Tacita prohibitio ibi interueniffe intelligitur, vbi confuetudo contraria inoleuit, vt pro miraculo fit armorum gellatio, veluti est apud LIV. *lib. 21. cap. 20.* Expreffa prohibitio fit per publica decreta et statuta; DECIAN. *8. tract. crimin. cap. 3. num. 19.* vbi tamen voce confuetudinis abuti videtur, dum confuetudine arma prohiberi nuncupat, quando prohibitio fit per
Edicta et Proclamationes.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

LOCA, IN QVIBVS ARMORVM VSVS PROHIBITVS.

Non integrum est arma gestare,

I. Ad rationem autem et formam armorum gestandorum illud spectare videtur, vt debito loco et modo fiat. *Loci* enim quidam ab armorum strepitu sunt immunes, iique tum sacri, tum profani.

in locis sacris,

II. Sacri sunt *templa et monasteria*, intra quorum septa sine Praepositorum licentia arma tenere aut gestare nemini licet. CLEMENT.

1. §. *praefatae et ibi Cardin. de stat. Monach.* Quinimo non solum a Summi Dei templis et altaribus arma prohibentur, sed et ab aedis, porticibus, cellulis, domibus, hortulis, balneis, *l. pateant* 3. §. *arma quoque* 1. C. *de his, qui ad Eccles. confug.* (Quae sc. ministrantes Ecclesiae infra ipsa sacrarum aedium moenia habebant, Dn. GODOFR. *ad d. l. 3. C. verbo: siue in cellulis*) vsque adeo, vt armatis ad Ecclesias salutis causa confugere non liceat, sed si arma secum in Ecclesiam intulerint, iubeantur ea deponere, cum religione loci fati defendantur, vt armorum praefidio opus non habeant, ac nisi arma deponant, ex Ecclesia abstrahantur, secundum praescriptum *d. l. 3. §. ult.* quemadmodum et seruus, qui cum armis ad Ecclesiam confugerit, inde extrahi debet, et, si resistat, impune potest interfici, *l. si seruus 4. C. eod.*

Quaestio.

III. Hodie tamen ex recepta Germaniae consuetudine non solum gladiis accinctis sacris interesse licere, (nisi quod ad Sacram Synaxin et susceptionem infantium e sacro lauacro accessuri, arma deponunt) videmus; sed et in plerisque Ciuitatibus Imperialibus Ciuibus omnibus sub muleta iniungitur, vt concionibus gladiis accincti intersint ad omnes subitos casus parati, quod et supra monitum. Idem de vetustissimis Germanis PLIN. *in Panegyri* testatur, ibi: Haec maiores vestri *templa* non ingrediebantur, nisi armati. Quamobrem haud immerito quaerere licet, cur in *Aureae Bullae cap. 2. §. 1.* a Serenissimis Electoribus Secularibus requiratur, vt Francofurti ad Rom. Regis electionem processuri,

furi, in templo D. Bartholomaei omnes cum tota familia tempore praestandi iuramenti inermes coram altari consistere cogantur? Commentatores eum locum sine disquisitione vltiori praetermittunt: An ergo religioni id datur, an securitati?

IV. Caeterum Pontificii etiamnum in monasteriis eum morem seruant, vt in aditu domuum religiosarum arma deponere iubeant illos, qui earum contemplandarum causa intrare desiderant.

Palatiis Principum,

Sed et profani quidam loci arma non admittunt, vti (1) *Palatium Principis*, arg. tit. C. de palat. et domib. domin. ANGELVS in l. armatos 9. D. de vi publ. SOCIN. reg. 48. in fin. per §. ad palatium 6. lib. 2. F. 27. LAVDENS. tract. de Princip. priuil. 632. Qua ratione Principes iam olim securitati suae consultum voluerunt. Sic CLAVDIVS Imp. omnes, qui ad ipsum veniebant, viros et foeminas explorari iubebat, ne quem gladium aut sicam haberent. In conuiujs etiam vbi que milites quosdam adstantes habebat, atque id ab eo deinceps ad hoc aevi seruari, ait DIO in CLAVDIO. Quod et NERONI placuit: Hinc Vologeses, Parthorum Rex, propriis nuntiis a Corbulone, Romanorum Duce, petiisse apud TACITVM legitur, ne qua Tiridates ipsius frater, quem Armeniae Regem coronauerat, ferrum ponere cogeretur 15. *Annal.* 32. et vbi Tiridates ad NERONEM veniens, acinacem ponere iuberetur, alias ad salutationes Imperatorias non admittendus, DIO lib. 63. renuit, sed clavis eum vaginae adfixit. XIPHILIN. in NERON.

V. Porro in coetu salutantium Principem, ferro accinctum deprehendi, capitale fuit, vt apparet exemplo Cn. Nophii apud TACIT. 11. *Annal.* 22. Quod sub cultus et obseruantiae praetextu insidiae clandestinae erant metuendae, vti vel ex illo SALLVSTII *Catilinaria cap.* 28. patet, ibi: Constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad CICERONEM, et de improviso domi suae imperatum confodere. Hanc tamen ipsam salutandi consuetudinem, manente etiamnum Civili bello, VESPASIANVS omisit, teste SVETONIO in eius vit. cap. 12 in fin. neque dum hodie in Aula Imperatoria seruat; quanquam in alijs aulis, vbi nec coelo proxima capita a muronibus monstrorum fati sunt tuta, id etiamnum obseruetur; v. VINCENT. LVPANVM de Magistr. Francor. lib. 1. sub tit. de rege Ribaldarum et Praeposito hospitii.

Quaestio.

Quaestio.

¶ An autem, stante iure, ne arma gestare liceat in Palatio Principis, hoc et absente Principe sit intelligendum, quod contra negantem PET. PLACAM *lib. 1. epit. delict. cap. 8.* affirmat MENOCH. *de A. I. Q. d. cas. 394. num. 40?* Distinguit DECIAN. *d. cap. 3. num. 61.* an statutum loquatur de Palatio demonstratiue, vt, palatium Potestatis; aut conditionaliter, si aderit Potestas: Illo casu ne quidem absente Potestate arma inferre licere; hoc autem, absente Potestate poenam non incurere.

Praetoriis.

VI. Nec (2) Curii seu Praetorio arma inferri debent: Nam vt a reliquis affectibus, ita et a metu ea loca immunia esse debent. Quod vel de Magistratu ipso, vel de subditis intelligitur. *Quod ad Senatores,* ita sane iam olim disposuit THEODOSIVS Imp. in *Codice Theodosiano lib. 14. tit. 10. l. 1.* vt nullus Senatorum habitum sibi vindicaret militarem, sed chlamydem terrore deposito, quieta colobiorum et penularum induceret vestimenta etc. Quanquam lex illa non ad Praetoria speciatim pertinet, sed ad totam urbem Romam. Horsum certe illud TACITI *quarto Annalium vigesimo primo* allegari potest: vbi cum Togonius Gallus TIBERIVM Imperatorem oraret, deligeret Senatores, ex quibus 20. sorte ducti salutis ipsius defendendae causa ferro accingerentur, respondit ille: *Quam deinde speciem fore, sumentium in limine Curiae gladios? Item illud, quod apud LIVIVM lib. 8. cap. 5.* legitur, cum L. Annius Setinus Latinorum Legatus a Romanis petere auderet, vt alter Consulum e Latio crearetur; Titum Manlium, Romanorum Consulem, adeo excanduisse, vt iuravit: *Si tanta dementia patres conscriptos cepisset, vt ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum venturum se, et quemcunque in Curia Latinum vidisset, sua manu intererenturum.* Et alia. *Principes* tamen praesidere ferro cincti, soliti, occupato Imperio, nec firmata omnino aut fida adhuc potentia, quemadmodum de AVGVSTO lorica sub veste munito ferroque accincto iam supra dictum est. Quem secutum dicit CLAPMAR. *de arcem. Rerump. lib. 3. cap. 14.* Cosmum Medicem, qui non nisi armatus, et cum manu militari in Senatum venerit. Plane in pacatis hodie Rebus publicis, quia metus mutuae oppressionis et violentiae cessat, non ipsi Magistratus tantum, sed et ministri honoratiores, item ii, qui non dignitatis, sed custodiae causa praesto sunt, arma in Curiiis gestant.

VII. *Quod ad subditos*, ex Constitutione FRIDERICI, ne militi quidem (cuius tamen membra arma esse censentur, vti supra dictum) ad Palatium, id est, forum iudiciale vel Curiam, *arg. 2. F. 46. an apud iudicem vel Curiam Domini etc. arma ferre licet 2. F. 27 §. ad palatium 6. de pac. tenend. et eius violat.* (vbi Doctores vtraque et hac et superiori significatione palatii vocem accipiunt) imo ne nobili quidem, TIRAQ. *de nobilit. cap. 20. num. 73.* Qua ratione receptum, vt in iudicio Equeltri Silesiaco, *im Schleßischen Ritterrecht und Ebrengericht* (quod ceu regale summum Lydiumque verae nobilitatis lapidem Silesia sibi seruat) antequam quis admittatur, *che er vor die Ritterbanck vortrit*, gladium deponere cogatur. GEORG von WENTZKI, *vom Schleßischen Ritterrecht und Ebrengericht pag. 37.* Simile quid de Venetis narrat DECIAN. *d. cap. 3. num. 61.* quod illi non permittant, vt vllus, etiamsi miles sit, aut quacunque praefulgeat dignitate, in collegio aut aula, vbi Senatus congregatur, arma ferat, sed arma extra portam sint deponenda. Ita de Mediolanensium Constitutione testatur MENOCH. *de A. I. Q. d. cas. 394. num. 38.* quod ea cautum sit, ne arma quis ferat coram Iudice eo die, quo ferenda ab eo est sententia. Ex qua colligit, aliis temporibus ea ferri posse, cum vbique fere vsus admittat, vt ea ferantur. Exterorum certe alia causa esse videtur, ad quorum dignitatem respectus est habendus, an eo honore, vt coram magistratu loci gladio accincti compareant, afficiendi sint vel non. Quo trahendum est, quod legati Decabalii, Dacorum Regis, visi a TRAIANO, cum in Senatum intromitterentur, deponere arma iussi sunt, apud DION. CASSIVM *lib. 68.* Plura de ritu ponendi apud Magistratum ferri vide LIPS. *in Elect. cap. de Liçtoribus.*

Congregationibus populi.

VIII. In aliis etiam (3) *Conuentibus et Comitibus publicis* armorum gestatio est interdicta, vt lege Julia de vi publica teneatur, qui cum telo in concione, vel vbi publicum iudicium exercetur, fuerit dolo malo, *l. qui dolo malo 10. pr. D. ad l. lul. de vi publ. PAVL. 5. sentent. 26. §. 3. MENOCH. d. cas. 394. num. 35. et seqq.* Cur autem hic requiratur dolus malus, cum in *l. in eadem 3. §. in ead. leg. 1. D. eod.* simpliciter legis Iuliae reus fiat, qui cum telo in publico fuerit? Non vna succurrit ratio, quibus tamen animus non omnino acquiescat. An historia aliquam lucem huic rei inferre potest? Romani enim primitus in comitiis Centuriatis cuncti armati, sub suis quisque signis et centuriis conue-

conuenerunt; posterioribus autem temporibus non omnes Ciues in Campum Martium confluxerunt, sed praesidii causa, vt ait GELL. *lib. 3. cap. 5.* paucorum hominum exercitus fuit imperatus, atque in Ianiculum custodiae causa introductus, erecto vexillo, donec peracta essent Comitia. ROSIN. *6. antiquit. 14.* Si quis ergo horum per incogitantiam aut ignorantiam ad comitia dilapsus esset, forsan hoc capite excusatus erat, quod ea die Ciuibus quibusdam liceret esse armatis. Quanquam et hoc fatear, non quasque conciones comitia in specie dicta fuisse: Comitibus enim dies indicebatur ad ferendam de aliqua re per suffragia sententiam, ROSIN. *d. lib. 6. cap. 1.* Vide, quae de Comitibus concessit HILLIGER. *6. Donell. emucleat. 6. lit. B.* Conciones autem saepe, cum populus alias ludorum aut census gratia conuenisset, habebantur, quod tum LIVIVS *lib. 4. cap. 35.* ibi: Post ludos seditiosae conciones Tribunorum fuerunt etc. Tum CICERO inuuit in *2. Verrin.* vbi scribit: Non committam, ut tum res iudicetur, cum haec frequentia totius Italiae Roma discesserit, quae conuenit vno tempore vndique, comitiorum, ludorum, censendique causa. Ex quibus et alia coniectura nobis nascitur, respicientibus ad exceptionem *d. l. 10. ibi: Exceptus est, qui propter venationem habet homines, qui cum bestiis pugnent, D. ad l. Iul. de vi publ.* Quasi is non puniatur, qui post ludos in concione cum telo aut hominibus, quos depugnandi cum bestiis gratia habuerit, remanserit: sed haec doctioribus, vel ipsi etiam συζητησι relinquo: Quae vellem, ne a plerisque sine animaduersione essent praetermissa.

IX. Vtique Charondae lex sine limitatione fuit, ne quis cum ferro in concionem prodiret, quam, cum ipse violasset, ferro districto incubuit et occubuit, teste VALER. MAX. *lib. 6. cap. 5.* Ita cum in electione Sigismundi moderni Poloniae Regis Zamoiscius et alii, renouato vltionum per interregni commoditatem sensu, vt se ab iniuria tuerentur, comitatu velut militari ad comitia venissent, aliquot dies non sine magna animorum contentione et verborum asperitate cum Lithuanorum legatis sunt traducti, dicentibus illis, se non ad bellum, sed ad legitima nouo Regi creando comitia profectos, ac proinde in Senatum Polonum, nisi prius arma deponerentur, venire recusantibus. THVAN. *lib. 88. hist.* ¶ Veruntamen vbi metus est, ne, dum ciues congregati sunt, aliquid subito moueatur; tum quoque comitia et conuentus armati solent esse, quales fuerunt veteribus Gallis, qui armati in concilium venire, LIV. *lib. 21. cap. 20.* et antiquis Germanis, qui armati con-

96 Caput vndecimum. Loca, in quib. armor. vsus prohib.

confidere, PLIN. *Panegy. cap. 48. pr.* sunt soliti, et, si consilium propositum placeret, frameas concutere, quod honoratissimum assensus genus erat. TACIT. *de morib. German. cap. 11.*

Comiuiis.

X. In *Comiuiis* denique (4) arma deponi solent, ne quando calefactis per vinum cerebris visa inter temulentos arma cupidinem sui moueant. TACIT. *1. Histor. 80.* Quamobrem Telemachus submouenda a Proci arma esse ratus, causam addit :

Μήπως οἰνωθέντες, ἔριν ζήσαντες ἐν ὑμῖν
 Ἀλλήλοις τρώσῃτε :

*Ne quando temulenti iurgia deinde seratis
 Mutua laedentes.*

Et causam causae :

— — αὐτὸς γὰρ ἐφέλεσται ἄνδρα σίδηρος :
namque viros ferrum trahit ipsum.

HOMER. *Odyss. π.* LIPS. *in not. ad d. l. TACITI not. 150.* Quod non obseruarunt Maiores nostri, qui tum ad negotia, nec minus saepe ad conuiuia procedebant armati. TACIT. *de morib. German. cap. 22.* iisque conuiuantibus famulos adstitisse vel assedisse cum scuto, lancea, et iustis armis vult ATHENAEVS *lib. 4.* Vide LIPS. *not. ad modo d. cap. 22. TACITI num. 43.* forte quod minus tuti a vicino hoste essent, et, ne imparati opprimerentur, metuerent. Idem Persis et Parthis tribuit AMMIAN. MARCELL. *lib. 23. c. 30.* referens, omnes eos promiscue vel inter epulas festosque dies, gladiis cinctos : Eundem Graecorum veterum morem ATHENAEVS primos abiecit Athenienses, THUCYDIDES *lib. 1.* autor est.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

MODVS ARMIS INCVLPATE VTENDI.

Vsus inculpatus consistit in gestatione, quae ad nullius laesionem progrediatur, sed in terminis defensionis subsistat :

I. **E**t haec de locis, in quibus arma gestare minus congruum est: Restat, vt de modo vtendi hoc armorum iure aliquid annexamus, qui pene cum fine primario coincidit, innuiturque in *d. §. si quis rusticus 5. lib. 2. F. 27.* vbi in *§. deo* et *§. p. deo* modus iste declaratur, ita nimirum arma gestanda esse, ne quenquam iis offendamus, sed vim nobis illatam propulsemus.

Defensio praesupponit vim,

II. *Vsus* ergo armorum primarius consistit in vi nobis illata propulsanda. Vis inferitur, non verbis, sed re ipsa. Verba enim aut sunt prouocatoria, aut iniuriosa, aut minitantia. Quantum (1) ad prouocationem, iam pridem explosa est sententia existimantium, prouocatum sine famae laesione tergiuersari non posse: cum contra bonos mores sint huiusmodi prouocationes, occasionemque tumultus praestent, qualia ne facere quidem nos posse putandum est, *l. filius 15. D. de condit. institut.* quae autem factu impossibilia sint, quomodo non facta infamiam importarent? quomodo is, qui contra praecepta legum armis experiri, *l. si cuius rei 13. §. sed si inter duos 3. D. de usufr. l. si quis 91. D. de furt. l. nullus 14. C. de Iudaeis*, detrectat, puniri mereatur? Ignominiae causae expressae sunt plures tam Ciuili quam Canonico iure, nullibi reperitur haec ista. Nec consuetudo irrationabilis iuri et rationi debet praeferrri, *l. consuetudinis 2. C. quae sit long. consuet.* nec hodie cessant poenae tam prouocanti quam prouocato praestitutae, vide Colleg. Argent. ad *l. Cornel. de sicar. ib. 12. num. 26.* nec cordati, sed temerarii potius habentur monomachi; fortis enim dicitur, qui circa maxima pericula intrepidus versatur ARISTOT. 3. *Ethicor.* 10. iuxta autem Magistratum et DEVM metuit *ibid. cap. 9. et 10.* At verbalis citatio neminem in periculum coniicit, neque infamiam vecordiae inurit. Concludo ergo, non ideo armorum vsum esse concessum, nec recte quem armis concessis vti, qui sese in duella intromittit.

III. Neque (2) verba iniuriosa armis recte repelluntur, nam nec ea vis est, vti probat OBRECHT. *tr. de necessar. defens. cap. 2.* sed vel in iudicio actione iniuriarum vindicari potest, *l. quae omnia 25. D. de procurat.* vel extra iudicium recriminando repelli. Idem OBRECHT. *d. tract. cap. 9. num. 8.* modo ea retorsio fiat in continenti. Vide de ea quaestione post alios nouissime eximium Ictum GEORG. FRANTZ-KIVM *Exercit. 12. quaest. 7.* Denique (3) nec minae armis statim sunt repellendae, nisi sint coniunctae cum aliquo violentiae argumento, quod ex armorum praeparatione probabiliter colligitur, *l. sed et si 5. pr. D. ad l. Aquil. l. si quis 3. C. ad l. Cornel. de fcar.* Constitut. Crimin. CAROLI V. *art. 140.* Colleg. Argent. *d. loc. th. 7. num. 3.* cum allegato DAMHOVDERIO.

Realiter illatam;

IV. Realem ergo vim requirimus, quae inferatur vel personis vel rebus nostris.

Personis, inquam, siue corporibus propriis vel coniunctis. Vbi realiter vis inferri dicitur, cum corpori hominis vis inferitur, quae vel pudicitiam vel vitam attentet. Nam et eam vim quibuslibet armis arceri posse statuo, quae contra pudicitiam directa est, per ea, quae habet TREVTLER. *volum. 1. disp. 1. th. 4. lit. C.* et allegati. Adde *l. 1. f. pen. ad l. Cornel. de fcar.* Quae vitam concernit violentia, armis etiam prohiberi potest, non solum, cum iam percussio facta est, sed vbi aduersarius in actu percutiendi proximo est, etiam remoto, vt si cum armis veniat e longinquo te petiturus; tum enim maxime verum est, neminem primum ictum expectare teneri, *l. quod est 3. f. eum igitur qui 9. D. de vi et vi arm.* et tum, qui defensionem sui omittit, dolum perpetrat, alterius vero, culpam, vti dixit BALD. *4. conf. 3.* qui BARTOLVUM propterea in inferno cruciari scribit, quod negauerit, extraneum in periculo vitae constitutum, non necessario defendi. Vide KREMBERG. *de necessar. defens. quaest. 2.* et allegatos apud DAN. OTTONEM *cap. 11. iur. publ. p. m. 275.* adeo, vt non solum ob coniunctarum, sed et extranearum personarum defensionem, impune homicidium committatur, secundum GAIL. *2. obs. 110. num. 19.* VILLALOB. *commun. opin. lit. O. mun. 10. et seq.*

V. In rebus autem nostris defendendis ita armis vti debemus,
ne

ne tamen ideo quenquam interficiamus, cum rerum, licet pretiosissimarum, nulla cum vita hominis institui possit comparatio. Quod si, dum res nostras defendimus, quis nos violenter aggrediatur, quia iam non amplius de rebus, sed de proprii corporis salute agitur, impune etiam inuasor bonorum nostrorum et infestator corporis nostri occidetur. VOLTZ. *comment. ad l. Cornel. de sicar. cap. 7. num. 98.* Qua ratione scriptum est, si quis nocturno furi sine suo rerumque suarum, WESENBEC. *parat. ad l. Cornel. de sicar. num. 21.* periculo parcere possit, eum impune non occidi, *l. furem 9. D. ad l. Cornel. de sicar.* quia tum de rerum iactura, non vitae periculo agitur: (Quod in vrbe praesertim verum esse, non in agris putat CUIACIUS 15. *obs. 15:* nempe quod, vbi maior grassandi facultas est, qui noctu furantur, odio maiore sunt digni, *l. 1. C. quand. lic. vnic.* verum huic CUIACII sententiae nos non subscribimus.) Quod si absque vitae discrimine parcere ei non possit, impune eum occidi, *l. itaque 4. §. lex XII. Tab. vn. D. ad l. Aquil. Vi- deatur Dn. PRAESES lib. 3. ad leges XII. Tab. pag. 46. Dn. BACHOV. 2. disp. Treutler. 30. th. 3. lit. C.*

Et requirit Moderamen. Quaestio.

VI. In defensione autem hac cumprimis respiciendum est et ad tempus, et ad modum. *In tempore* iterum ad initium et finem. *Quod ad initium* iustae defensionis, notandum est, eam ex continenti fieri debere, *l. quod est 3. §. cum igitur 9. D. de vi et vi armat. l. si filiusfamilias 16. D. ad SC. Macedon. l. si vitem fin. §. fin. D. quod vi aut clam.* Vis enim, quae ex interuallo inferitur, non ad defensionem, sed ad vindictam spectat, *l. sed et partus 12. §. quaeri 1. vbi CUIAC. D. quod met. caus. quae omni iure est prohibita. OBRECHT. d. l. cap. 10. num. 19.* Ad quod initium defensionis referri etiam debet quaestio, an impetitus ab armato fugam arripere debeat? Quod per inductionem *l. 1. §. vim vi 27. D. de vi et vi armat.* recte negat OBRECHT. *d. cap. 10. num. 12.* praesertim si sine periculo fugere non possit, vt si vel locum certum non habeat, quo se recipiat; vel si habeat quidem, sed aut nimis remote a loco periculi distet, aut facile accedi non possit, citra metum lapsus aut aedium recludendarum difficultatem. Dn. FRANTZKIVS *d. exercit. 12. quaest. 6. num. 23.* vt recte WESENBEC. *ad l. Cornel. de sicar. num. 22.* moderamen inculpatae tutelae non ex facultate fugae, sed ex circumstantiis probandum esse sentiat, quanquam is locus minus probetur, Colleg. *Argent. d. l. th. 7. num. 4. Quod ad finem seu durationem iustae defensionis,*

100 Caput duodecimum. Modus armis inculpate vtendi.

nis, sciendum est, eam durare debere cum ipsa impetitione. Si enim aggressor tuus cedat, aut tergum vertat, iniuste illi porro instas persequendo; quia iam ista tua persecutio vindicta est, et cessante vi alterius, ipse vim facis. OBRECHT. *d. tract. cap. 13. num. 21.*

VII. Haec in extremis defensionis attendenda: *In ipsa defensione* is modus seruandus est, ne aperta inaequalitas vel ratione personarum vel ratione armorum defendenti possit obiici. *Ratione personarum* illa inaequalitas apparet, si puer, senex, mulier, iuuenem, robustum, vegetum petat; *Ratione armorum*, si baculo leui petitus aut manu inermi, gladio resistat, (nisi declinandae plagae causa, aut vbi iustus metus est, alterum futurum superiorem.) His casibus cum quis ictum declinare facile possit, sed mauult petentem gladio grauius vulnerare aut trucidare, certe cum defensione sua, quae ab initio licita erat, per euidentem hunc excessum in culpam incidit, quia vim passam longius excedit. Vnde inculpatae tutelae moderationem, *in l. 1. C. vnde vi*, forsitan recte quis dixerit defensionem, quae et ab initio iusta est, et sine culpa vsque ad finem decurrit, licet haec omnia Dd. aliter explicant, quos vide praeter alios apud PET. THEODORICI *Colleg. crimin. disp. 11. th. 5.* Plane vt non adeo impossibile sit, generales huius moderationis terminos ex culpae interuentu, non inuita Iurisprudencia constituere, veluti Dd. communiter desperant. Neque ita forsitan satis accurate loqueremur, si cum OBRECHTO *d. tr. cap. 13.* diceremus, moderamen inculpatae tutelae etiam tum excedi, cum quis minanti aut iniurianti armis sese opponit: siquidem (1) ex sententia *d. l. 1. C. vnde vi*, vim prius illatam esse oportet, antequam iusta defensio sequatur: At dictis casibus vis illata dici non potest, vel ex ipsis OBRECHTI traditis. Nec est (2) quaerendum de moderamine defensionis, quae ab initio statim illicita est. Sed vbi ab initio licita est defensio, moderamen illud tenendum est, ne culpa aliqua euidenter defendenti possit imputari: Sed ea de re acutiores viderint.

CAPVT

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

DE CAUSIS ARMORVM PROHIBITIONIS ET
CONCESSIONIS: ITEMQVE DE POENIS
ARMORVM ILLICITE
VSVRPATORVM.

Causae prohibitionem urgentes: respiciunt partim Reip. tranquillitatem,

I. Ad finem iam decurrente dissertatione nostra, non alienum erit ab hoc loco, finem, tum prohibitionis tum concessionis indagare. Et causas quidem, ob quas arma vel iam olim aliquando in vniuersum prohibita fuerunt, et etiamnum his temporibus aliquando portari prohibentur, exputare non est difficile. Dicemus tamen, causam aliam securitatem status et publicam, aliam priuatam incolumitatem respicere. Verissimum enim est, quod ARISTOTELES 4. *Polit.* 19. consignauit; in eorum, qui arma tractant, manu positum esse, vt quiescens vel turbulenta sit Respublica: Quod et sibi compertum aiebat Cyrus; cuncta nempe in illorum manu esse, quibus arma sint. XENOPHON *lib. 7. Cyropaed. extr.* Quare cum Numantini a Scipione in legitimi foederis pretium iussi essent arma deponere; hoc sic ab illis acceptum, quasi manus abscinderentur. FLOR. *lib. 2. cap. 18.* Et de Pompeio Magno effatur DIO CASSIVS, quod cum ferociter cum Phrahate egisset, iniuriam molientibus euidentem documentum reliquerit, quam ab armis omnia dependeant, quibus qui praestet, eius legibus omnes necessario obtemperent *lib. 37.* Idem hoc iactabat Cornel. ille Centurio, qui Senatui Romano Consulatum AVGVSTO decernere cunctanti; reiecto sagulo gladii capulum monstrabat, iuxtaque interminabatur: Ni illi fecerint, hunc facturum, SVETON. *in OCTAVIO cap. 26.* DIO CASSIVS *lib. 46.* Optime namque de finibus disputat, qui gladio praeualet, PLVTARCH. *in apophthegmat* Hinc irreparabilem se errorem commisisse frater autoris huius nostrae legis VALENS serio expertus est, de quo HIERONYMVVS *in appendice ad Chronic. Eusebii*: Gens Hunnorum, inquit, Gothos vastat; qui a Romanis sine depositione armorum suscepti, per auaritiam Maximi Ducis rebellarunt.

partim singularum etiam salutem:

II. Sed et priuatim ipsorum ciuium causa interesse, ne arma in promiscuo vsu sint, demonstrant tum Imp. noster *in legis vn. parte*
N 3 altera,

altera, quae ex Cod. Theodos. antea adducta fuit, ibi: *Vt omnes latro-
num conatus debilitati conquiescant*, quemadmodum et Domitium Praeto-
rem, ne quis telum haberet, edixisse annotauimus, vt latrocinia, qui-
bus prouincia vastabatur, expelleret: Tum IVSTINIANVS in *Novell.
de Armis 85. pr.* quod vbi arma in promptu sunt, facile homines ad ri-
xas et digladiationes descendant, vnde vulnera, et mortes, et poenam
Magistratus expectare cogantur: vt non iniuria SCALIGER *Exercit.
307. sect. 21.* arma quandam quasi belli materiam nuncuparit. Et quae
non ex armorum indistincte gestandorum licentia rixae de facili seque-
rentur? FARINAC. *par. 3. oper. crimin. lib. 3. quaest. 108. num. 73.*
RITTERSHVS. *Comment. ad d. Nou. 85.* Nam qui armatum se con-
tuetur, arrogantiore fit, et ad inferendam iniuriam audacior: Qui vero
exarmatus erit, nec quenquam iniuria violabit, nec violatus occidet,
nec ignominiam contrahet eorum, qui ferro accincti iniuriam illatam
armis repellere ac vitae discrimen subire recusant. BODIN. *4. de Re-
publ. 7. num. 487.* Vt ergo Medicus quisque peritissimus iudicatur, non
tam qui morbos curare, quam qui valetudinem tueri, morbisque oc-
currere solet: Ita optimus Princeps is reputandus est, non tam qui ri-
xas et contentiones dirimere, quam ne exoriantur, sublatis eorum instru-
mentis praecauere potest. BODIN. *d. l.*

Causae concessionem suadentes.

III. Quanquam non raro necessitas temporum efflagitet, vt fi-
deles subditi armentur, non ad internecionem, sed ad patriae defensionem:
Aut vt cordatiores beneque meriti Ciues, *l. 1. §. plane 2. ibi: quae
Princeps alicui ob merita indulget D. de Constitut. Princip. §. sed et quod
Principi 6. ibi: quod alicui ob meritum indulget, Inst. de iur. natur. gent. et
ciuil. inter alia rei bene gestae documenta etiam cinguli honore fruuntur,*
quae ex superioribus licet colligere.

*Effectus prohibitionis sunt tum praesumptiones contra eos, qui arma vetita
gestant:*

IV. Nunc ad *Effectus prohibitionis* hoc capite, et e contrario
concessionis capite sequenti, cognoscendos digrediamur.

¶ *Prohibitionis effectus* doctrinae causa distingo in primos et vl-
timos. Primos dico, qui cum ipso statim armorum vsu et inseparabili-
ter cohaerent, id est, praesumptiones contra eum, qui arma gestat.
Quam-

Quamprimum enim quis dicitur arma vetita gestasse, statim praesumitur in eo ante maleficium etiam perpetratum (1) malus animus. BART. ALEX. et alii ad l. 1. D. ad l. Jul. de vi publ. Idem ALEX. conf. 103. col. 3. lib. 1. CAEPOLLA conf. 2. lib. 2. praesertim si arma fraudulenta, ut dolonem, MENOCH. d. cas. 394. num. 32. stilletum, aut venenata, per dicta supra cap. 9. in fin. portauerit; quia omnia illicita dolo fieri praesumuntur, praeter vulgata Colleg. Argent. ad l. Cornel. de fucar. th. 8. pr. (2) Et in genere ex armis proprie dictis animus occidendi praesumitur, quemadmodum ex aliis instrumentis, ut clavi aut cucuma, contrarium conicitur, occidendi nempe animum non fuisse, l. 1. §. Diuus Hadrianus 3. D. ad leg. Cornel. de fucar. l. vn. C. de emendat. seruor. nisi talia plane sint instrumenta, quae, cum grauius sint, leuem plagam inferre haud solent, vti loquitur Pontifex in cap. significasti 18. ext. de homicid. Vide MYNSING. cent. 3. obseruat. 98 num. 4. GAIL. 2. obseru. 110. num. 7. GOMEZ. var. resol. 3. cap. 3. Quo facit supra in protheor. th. 4. recensita Angeli distinctio, quae in praesumptione animi occidendi negligenda non est. Maleficio vero perpetrato (1) is, qui praeter morem arma antea comparasse et gestasse fuit visus aliisque coniecturis adstringitur, tanto magis in maleficii praesumptionem incurrit. MENOCH. de A. I. Q. cas. 361. num. 42. et cas. 363. num. 14. (2) Is, qui cum armis ex aedibus occisi aufugere visus est, caedem perpetrasse praesumitur. Constitut. Crimin. CAROLI V. art. 25. et 33. FARINAC. quaeft. crimin. 36. num. 27. GUIDO de SVZZAR. de indiciis num. 99. Dd. communiter ad l. fin. C. de probat. (3) Praesumptio etiam est contra eum, qui armatus homicidio adstat: Ideo enim id fieri praesumitur, ut alter securius et commodius homicidium committat, vide RICCIUM decif. Neapol. 64. (4) Gladii politio, armae cruenta, d. Constit. Carolin. art. 33. vulnerum occisi ad mensuram armorum quadratio, VVLPPELL. conf. 125. cum aliis signis coniuncta, indicium ad torturam faciunt: Et quae aliae praesumptiones contra arma gestantes passim occurrunt.

tum poenae in eos, tam iure Civili,

V. *Vltimus effectus* armorum prohibitionis est poena, quae consideranda venit tum in se, tum in modo impositionis. *Poenae in se considerata* est vel iuris communis, vel statutarie. *Iure communi* punitur tum vsus simplex, tum ad actum aliquem illicitum directus. *Simplicis vsus seu gestationis poena* est non sola armorum amissio, vti ex *Aurb. de Armis*

Arms scribit DECIAN. 8. tract. crimin. cap. 4. num. 17. eum ea poena commercii, ut dictum, sit propria; sed grauior ex lege Iulia de vi publ. poena eum manet, qui cum telo in publico fuerit, *d. l. in eadem* 3. §. *eadem lege* 1. *D. ad l. Iul. de vi publ.* aquae nimirum et ignis interdictione, *l. qui dolo* 10 §. *fin. D. eod.* Qua in parte scrupulum nobis iniicere haud debet locus ICTI PAVLI *lib. 5. sentent. 25. §. 3.* ubi eum, qui cum telo in publico, hoc est, ut CUIACIVS *ibid.* explicat, in foro, concione, comitiis fuerit, lege Iulia de vi priuata teneri, scribit: Vtunque enim credamus, olim forte has leges aliter distinctas fuisse, et legem Iuliam de vi publica tantum aduersus publicarum personarum, id est, magistratum immoderatam vim in ciues Romanos, poenam aquae et ignis interdictionem fanciuisse: At de vi priuata legem Iuliam aduersus priuatorum vim sub poena publicationis tertiae bonorum partis edixisse, secundum CUIACIVM *ibidem*: Postquam tamen Principum posteriorum Constitutionibus, Legibus Iulii derogatum, abrogatum, surrogatum est, usque adeo, ut eodem CUIACIO autore, nulla fere lex publicorum iudiciorum sincera manserit, sed solo Legis nomine retento ei aptatum fuit, quodcumque postea aliae Leges vel Constitutiones inuenerunt; mirum non est, si postea haec lex aliter definita fuit, (pro qua definitione vide porro Colleg. Argent. *ad l. Iul. de vi publ. tb. 1.* ex quibus facile HOTOMANNO 6. *obs. 7.* RAEVARD: *ad l. 152. de regul. iur.* aliisque dissentientibus satisfieri potest) ut et hoc loco verum sit, quod Dn. BACHOV. 2. *disp. Treutler. 27. tb. 1. lit. A.* scripsit: PAVLI sententias, cum multa iis addita vel detracta sint, CUIAC. 7. *obs. 27.* ad auctoritatem rebus incertis vel contra ius Iustinianum praestandam, non sufficere.

VI. Certi itaque nunc sumus, poenam iuris Civilis arma vetita gestantibus praestitam esse, aquae et ignis interdictionem: Eam poenam MENOCHIVS *multoties adducto casu* 394. *num. 17.* arbitrariam hodie esse scribit, quia deportatio iam olim in locum aquae et ignis interdictionis successerit; modo autem deportationem iterum in desuetudinem abiisse, arbitrariamque poenam successisse. In contrarium, quod deportationis poenam non possit esse facta arbitraria, non pauca moueri possent, si id huius loci esset. Probabilius sane est, quod alii volunt, damnationem ad remos et in metallum deportationi esse surrogatam, WESSEBEC. *in parat. D. de quaestionib. num. 5.* et apud Saxones suffligationem

nem cum relegatione perpetua, idem *de interd. et relegat. in fin.* neque tamen dubitamus fidem adhibere Dd. attestantibus, poenam vis et publicae et priuatae in foro extraordinariam esse factam et arbitrariam, IVL. CLAR. in *pract. crim. q. 83. num. 4.*

VII. At sequestratis his videamus, ecquid ICTUS sibi velit in *l. hi qui aedes II §. fin. D. ad leg. Jul. de vi publ.* ubi ita fatur: Qui telum tutandae salutis suae causa gerunt, non videntur hominis occidendi causa portare. Ex quibus colligi posse videtur, permissum ea lege promiscue arma ferre, dummodo id tutandae salutis causa fieri asseratur. Quid dicemus? An cum MENOCH. *d. l. cas. 394. num. 85.* respondebimus, Legem Iuliam de vi publica duo continere, quorum primo caueatur, *ne quis arma ferat*; secundo, *ne occidendi hominis causa ferat.* Ut proinde, cum quis defensionis suae causa arma fert, cesset quidem secundum legis Iuliae caput, non vero primum, cum alias quilibet arma portans in eo temeritatis suae latibulum quaerere possit, dicturus, se non offensionis, sed defensionis gratia arma portare; adeoque in isto textu magis gestationis causam, quam ipsam gestationem excusari: At ita nihilominus poena legis Iuliae gestantem manebit. Et imo, non dicitur excusari a Lege Iulia; sed non videri arma portari, adeoque nec contra hoc alterum peccare. An vero et haec distinctio diuinatoria est et Legibus incognita? propiusque ad historicam veritatem accedit, simpliciter Lege Iulia de vi publica teneri, qui armis vsus fuerit extra causam itineris, nauigationis aut venationis; contra illum enim praesumptum iri, quod vim publicam illatam voluerit, cuiusque occidendi animum habuerit, seu vt IOH. TAVART. *ad rub. C. unde vi. num. 8.* scribit, videri Reip. et securitati populi vim inferre, qui incio Principe arma sumat. Quando autem in casibus exceptis et licitis quis arma gestat, tum illum tutandae salutis suae causa potius, quam offendendi cuiusquam consilio gestare praesumi, *arg. §. si quis rusticus ibi: Non ut quem laedat innocentem, sed ut a praedone se defendat, 2. F. 27. d. l. fin. C. de praeposit. sacri cubic.* His, quae obici possint, video: in quibus animus melius acquiescat, edoceri cupio.

VIII. Quibus bene conueniunt ea, quae DECIANVS *d. 8. tract. crimin. 3. num. 22.* scribit: Si quis portet arma in casu licito, tum non praesumi animum dolosum, sed qui diceret, malum animum intervenisse, probare deberet. *Et eod. cap. num. 37. ibi: Hoc, vt excusetur, qui*

qui telum salutis suae causa gestat, ita demum verum est, si de licentia Superioris sui portet: Alias posset quilibet dicere, se arma defendendi non offendendi quenquam animo portare, et sic fraus fieret legi. Ita etiam tolerabile est, quod *cap. 2. num. 7.* eum textum non de armis, sed de telis loqui dicit, intelligens forte, vocem telorum, ibi iuxta §. proxime praecedentem latius accipi, pro quibusvis aliis instrumentis, quam quae arte et natura facta sunt ad nocendum, qualia quis non censetur portare nocendi animo. At quas alibi habet explanationes, nullum omnino punctum merentur. Ut, quod *eod. cap. 2. num. 37.* scribit *l. pen. §. fin.* loqui quoad excusandum a poena Legis Iuliae de vi publica, non quoad armorum portationem: Nam portantem non quidem teneri Legge Iulia (contra expressum textum *l. 3. §. 1. eiusd. tit.*) sed statutaria poena. Et paulo post: Limitationem *l. pen. §. pen.* pertinere ad restringendam regulam *l. 1. de vi publ.* (quae tamen ex ipsius interpretatione ad armorum coactionem et coadunationem, non ad gestationem spectat) non autem ad restringenda Statuta vel Edicta armorum gestationem prohibentia: Quae et tanto nomine, et ulteriore pariter refutatione sunt indigna.

IX. Haec de poena Ciuili vsus simplicis: *Quod si vsus iam ad aliquem actum illicitum fuerit directus*, interest, *an adhuc subsisterit in terminis destinationis*, ita, vt non solum ex gestatione praesumatur, sed etiam aliunde constet, aliquem hominis occidendi, furti faciendi, possessionis inuadendae etc. causa cum telo ambulasse, familiamue armasse, quo casu Legge Cornelia de sicar. vbi WESENB. *in par. n. 15.* tenetur: (Ita concilio *l. 1. D. ad L. Corn. cum l. 3. §. 1. D. ad L. Iul. de vi pub.* Nisi dicere malimus, vtraque lege arma gestantem coercitum fuisse.) *An vero destinatio in actum fuerit producta*, seu, vt melius loquar, facinus seutum: Vbi non solum is, qui ius armis vtendi non habet, grauius venit puniendus, sed et ipse, qui facultatem hanc gestandi arma habuit: Ille, quod contra ius arma tulit, grauius et inexcusatius delictum suum reddit, *Nou. 134. cap. ult.* Ille, quod facultate concessa abusus est: Offendit enim maxime benignitatem Magistratus, qui licentiam dedit, DECIAN. *d. cap. 3. n. 62.* Vtrobique autem spectandum esse DECIAN. *cap. 4. n. 19.* ait, an alterum, et, vt sic dicam, antecedens delictum grauius sit armorum gestatione, an lenius: Priori casu, vt si armatus alicui valnus infixit, puniendum esse delinquentem poena vulneris ceu delicti grauioris: Posteriori casu, vt si armatus alapanam alicui dederit, tunc, quia

quia arma gestare grauius delictum sit, puniendum esse delinquentem poena portationis armorum. Quod ita accipio, non quasi maleficium maius consumat minus; nunquam enim duobus delictis concurrentibus alterum subleuat alterum, *l. 1. §. 2. 3. 4. D. de publ. et vestig.* quin se aggrauant, uti dictum: Sed ita, ut maius ad se trahat minus. Vide WESENEN, *in parat. de priuat. delict.* et ibidem eleganter Colleg. Argent. *ib. 11.*

X. Post generalem hanc legis Iuliae poenam in specie de rustico definitum est in *saepe dicto §. si quis rustic. lib. 2. F. 27.* ut si is arma gestet, iudex ea tollat, vel 20. solidos pro iis recipiat; ubi Dd. communiter particulam, *vel*, copulatiue positam esse interpretantur, ita, ut arma amittat, et insuper 20. solidos multae loco praestet, praesupponentes, solidum ibidem aestimari 20. libris aeris, *l. vn. C. de collat. neris lib. 10.* aut Legibus Longobardicis *tit. de quantit. solid. 40. denariis*, praesertim cum in *§. si quis quinque 9. eiusd. tit.* ob quinque solidos furatos quem suspendendum esse dicatur, quod communiter hodie cum floreno Vngarico conferunt. TREVTLER. *disp. 19. tb. 6. lit. C.* et hoc sensu ratio diuersitatis ea erit, quod in rustico, qui aeris non ita potens est, maior sit poena, quam si deportetur. Si autem quis solidi verbum pro minoris monetae genere, quod Germanis *Schilling* vocatur, accipere velit, quod in praeferis Saxonum legibus non infrequens est, teste Dn. BACHOV. *ad Treutler. d. loc.* mitioris poenae ratio erit in hominis rusticitate, quae facit, ut malus animus, qui alias in arma gestante regulariter praesumitur, excludatur *l. ex quacunque 2. §. si quis 1. D. si quis in ius vocat.* ubi WESENEN, *in parat. num. 2.* quem disiunctiuum intellectum valde vrgent verba, *pro ipsis*, id est, armorum loco. Caeterum si eam poenam soluere non possit, deputandus erit operibus publicis, pro tanto tempore, quanto merces laborum adscendet ad summam poenae. DECIAN. *d. cap. 4. num. 16.*

Quam varlis locorum statutis, sancitae.

XI. Atque ista de poenis iuris Ciuilis, quantum ad praesentem materiam, sufficient. *Statutariae porro poenae variant*, plerumque tamen ad exemplum *d. §. 5.* concipiuntur, ita, ut gestanti arma contra prohibitionem eadem adimantur, aut is in carcerem coniciatur, aliamue poenam arbitrariam incurrat. DECIAN. *d. c. 4. n. 22.* CLARVS *lib. 5. except. sent. §. fin. qu. 82. statut. 6. n. 8.* Quod si nulla poena E-

dicto expressa sit, nihilominus arma gerentibus adimenda esse, *arg. Auth. de armis* statuit DECIAN. *eod. cap. 4. n. 179.* et arbitrarie gerentem puniendum. ALEX. *in d. l. 1. D. ad L. lul. de vi publ.* MARSIL. *in pract. crimin. §. pro complemento n. 12.* vbi id vsu obseruari testatur. Quibus haec assentior, vt tamen non putem a ratione alienum, si quando iudex ipsam Legis Iuliae poenam, inualecente passim armorum gestatione, alicui imponat; cum, quando Statuto vel Edicto prohibetur armorum gestatio, potius ius commune confirmari, quam nouum induci videatur. MENOCH. *d. cas. 394. num. 49.*

De quarum interpretatione

XII. Enimuero, circa intensiorem vel imminutionem poenae *ἐπιλοφίας* illicitae, complures extant Dd. ampliaciones et limitationes. *Ampliatio* (1) est, quod poena debeat intendi in eo, qui arma venenata aut fraudulosa fert, cum et in ipsa delatione aut qualitate armorum peccarit. MENOCH. *d. cas. 394 n. 41.* (2) Quod is, qui armis cinctum latas habet, vim cum armis intulisse dicatur, etiamsi illa non strinxerit. BART. *in l. quod est 3 armis deiectum 2. D. de vi et vi armat.* et aggressionem cum armis fecisse, qui ea portauit, licet iis non sit vsus, sed manibus alicui alapam inflixerit. Dd a DECIANO *ibid. cap. 3. n. 12.* citati. (3) Imo licet arma in faciendo deposuerit, cum armis tamen fecisse dicatur, adeoque comprehendatur statuto loquente de iniuria eum armis facta, *arg. l. si vero 5. §. Praetor ait 11. D. de his, qui deiscer. vel effud.* Quod tamen intelligendum esse monet DECIAN. *ibid. n. 13.* modo deponens arma illa facile reassumere poterit. (4) Quod si quis saepius arma portauerit, idque distinctis temporibus, saepius puniendus sit: Quia nunquam vnum delictum cumulatam poenam alterius minuat. *l. 1. D. de priuat delict.* Vbi tamen aliud sit, si continue et aliquot horis ea gestauerit. DECIAN. *cap. 4. num. 13.*

XIII. E diuerso dicunt Dd. hanc poenam *non tenere eum*, (1) qui in domo sua armatus steterit, BVSAT. *conf. 141. n. 35. in fin.* vbi hoc amplius statuit, etiamsi quis armatus steterit in ostio domus. Et enim (2) statutum delationem armorum prohibens extendi non debere ad eorum possessionem, nisi hoc expresse fuerit additum. DECIAN. *c. 3. n. 5* (quanquam in praecedente facto non fit nuda possessio, vide sup. *cap. 3.*) (3) Cum finalis Edicti intentio plerumque sit continua armorum portatio, non debere illud extendi ad portantem per momenta

tum temporis, CACHERAN. *decif. 4. n. 9. et decif. 21.* GAILL. 2. *obf. 33.* Ex qua ratione Clericum aliquem, qui a cursoribus deprehensus fuerat cum cultro trium palmorum, quem se ferre dicebat ad exacutorem, excusatum fuisse a poena ordinaria Edicti Archiepiscopalis, de quo supra, et extraordinarie exilio septennali punitum, refert ALOIS. RICCIUS *saepe adduct. decif. Cur. Archiepisc. Neap. (4)* Eum etiam a poena prohibitionis immunem putant Dd. qui arma ad occidendum bannitum portet, stante statuto, quod bannitus impune possit offendi: BALD. *in d. §. si quis rustic. et in c. praeterea, de off. deleg.* MENOCH. *caf. 574.* Siquidem cum Magistratus velit consequens, vt si quis impune debeat offendi, etiam antecedens velle intelligatur, vt quilibet impune arma ferre possit ad occidendum bannitum. DECIAN. *c. 3. n. 38.* Quod tamen ita recte explicatur, vt quis probare teneatur hunc animum, cum contra eum stet praesumptio Legis, quae generaliter praesumit, arma portantem malum habere animum. Sed haec et alia vt latius perfequamur, nunc non vacat. Vide IAC. de ARENÀ *de bannit.* NIELL. *de banno.* PET. PREM. *de securit.* BECHT. *de securit. et salu. conduct.* Hoc videamus.

Quaestio.

XIV. Si (5) non accinctus quis armis, sed circum ipsum reperta fuerint arma, an et tum puniendus sit? MENOCH. *d. caf. 394. n. 58.* distinguit, an vnus tantum fuerit, circum quem arma sint deprehensa, an plures. Priori casu gladium praesumi delatum ab eo, apud quem fuit repertus, eumque puniendum esse poena ordinaria, nisi contrarium ostendat, et ad minimum, se honestae conditionis famaeque esse. DECIAN. *d. lib. 8. c. 4. num. 12.* Posteriori casu MENOCH. scribit, praesumi delatum fuisse ab vno illorum, et ad poenam omnes in solidum teneri, non ordinariam quidem, sed arbitriam, qua distinctione dissentientes inter se conciliat Dd. *n. 62.* ita tamen, vt vno eorum soluente reliqui liberentur, cum eadem res saepius solui non possit, *per vulgata.* DECIANVS contra propter incertitudinis rationem neminem puniendum putat, nisi constet, illos esse pessimae famae solitosque cum armis vagari: Sententia MENOCHII, quod omnes teneantur, verisimilior est, per ea, quae in simili ad L. Corn. de ficar. disputantur. Vide WESENB. *ibid. n. 19. de iniuriis n. 4. et tit. Si famil. furt. sec. dic.*

XV. Plane (6) illa limitatio a Doctoribus hic non fuerat praetermittenda, quam ipse Legis Iuliae autor *in d. l. 3. §. 1. D. ad L. Iul. de vi publ.* expressit, vt impubes excusetur. WESSENB. *parat. eod. n. 3.* Quod praesertim in eo, qui doli capax non sit, attendendum erit, *l. 1. D. de iniur. l. infans 12. D. ad L. Corn. de sicar. GAIL. 2. obs. 110. n. 31.* Nam si doli capax et pubertati proximus sit, non debet omnino ab extraordinaria castigatione immunis esse. CLARVS *lib. 5. sent. q. 60. n. 2.* Vide omnino V. CARET. *tr. de minor. in delict. excusf.*

Et executione, disquiritur. Quaestio.

XVI. Sufficiant haec de poena illicitae armorum gestationis: Nunc de *poenae impositione*, seu, *de executionis modo* pauca adnectamus. Vbi prima de apprehensione arma gerentis occurrit inspectio: Quando ergo statutum vult, vt inuentus cum armis puniatur, tum Officiales potestatem habent perquirendi sub pallio eorum, quos suspectos ducunt, num arma ferant, DECIAN. *d. c. 4. n. 11.* vbi de vsu et obseruantia fori asseuerat. Quod si arma apud aliquem inueniant, capere illum possunt. BART. *in l. si Baisfactorum 13. C. de fideiussf.* Ac etiam si iniunctum sit nuntiis aut curforibus, ne aliquem capiant absque expresso in scriptis mandato, v. BOER. *decif. 170. n. 2.* id tamen, vt in plerisque prohibitoriis, ac vbi mora periculum esset allatura, (V. C. si aliquos digladiantes offenderent, atque ita etiam in deferentibus arma vetita vel contra decretum aliquod) peculiare est, vt tunc recte ministri absque mandato speciali apprehendere gestantem possint, cum ad hoc officii sui ratione semper mandatum sufficiens habere dicantur. PARIS. *de PVTEO tract. de Syndic. vers. captura n. 15. et vers. nuncius n. 1.* Quid si autem inuentus cum armis in domum suam aufugiat, an et tum a familia iudicis ipsum insequente inde extrahi poterit? Negant Dd. communiter *in l. plerique 18. D. de in ius voc. BAIARD. ad CLAR. quaest. 82. n. 62. DECIAN. c. 3. n. 10.* quod domus tutissimum cuique sit perfugium; liceatque apparitori perinde officium suum exsequi, affixo ad ianuam citationis et executionis exemplo: Pro quibus faciunt ea, quae habet RAEVARD. *Protribun. cap. 3.* Quia tamen in casibus, vbi quid occultum perquirendum, aut describen-

dam,

dum, aut sequestrandum est, foribus clausis ex speciali iudicis commissione, aut foribus apertis etiam sine speciali iussu executoribus domum ingredi licet, ANT. FABER in Codice suo tit. de in ius voc. definit. 9. n. 3. et 4. Ideo et hoc in casu dicto textu abutendum non erit. Facit, quod et hodie in criminalibus quem de domo sua extrahere fas est. WESENB. parat. de in ius voc. n. 12. Certe de consuetudine hoc etiam licere, obseruauit RICCIUS d. decis. 209. num. 1. in fin.

Quaestio.

XVII. Vterius *ῥαύματα ἤματιον* comminiscuntur Dd. in illa quaestione. Si tale statutum fuerit, ut qui cum armis obambulans deprehensus fuisset, hac vel illa poena afficiatur; an et is deprehensus dici possit, qui a familia iudicis visus fuerit arma portare, nec tamen ab iis apprehensus sit aut arreptus? MENCHIVS illorum distinctiones anxie congescit, ubi interesse dicunt, an hoc duntaxat prohibeatur, ne quis arma ferat, quo casu, visum esse gestantem, sufficere volunt, d. cas. 394. num. 45. An solum id, ut deprehensus cum armis puniatur, ubi requirunt, ut actualiter quis sit captus, num. 53. An vero aliquid adiectum fuerit, et vel hoc, ut captus fuerit, his verbis: Qui cum armis inuentus et captus fuerit, hac vel illa poena afficiatur; quo casu liquido pronunciant, eum, qui elapsus, nec captus sit, non posse puniri, num. 44. Vel hoc, si repertus fuerit; idque vel disiunctiue, hac formula: Qui inuentus repertusque fuerit; quo casu gestantem omnino teneri dicunt, licet apprehensus non sit, num. 43. vel coniunctiue, hac verborum conceptione: Qui inuentus cum armis repertusque fuerit, puniatur, ubi non sufficere iudicant, ut quis cum armis inuentus, nisi etiam captus et prehensus sit.

XVIII. At enim omissis hisce distinctionibus, quibus Dd. saepenumero fluctus in simpulo cient, simplicius rem definiri posse putarim, poena nempe armigerulis praestituta illum etiam teneri, qui cum armis duntaxat ambulari fuerit visus: Inciuile enim est, verba Edictorum captare posthabita Legislatoris mente, l. pen. D. ad exhib. quae vbivis vel maxime attendenda est, v. TIRAQ. ad l. 8. C. de reuocand. donat. num. 47. et 48. ubi textus iuris Civilis

et *Canonici*. Colligitur autem mens Legislatoris tum ex variis circumstantiis, tum praecipue ex causa impulsiva et finali, quae anima cuiusque dispositionis est. GAIL. I. *obs.* 10. *num.* 6. ac basis et fundamentum negotium ipsum sustentans. COTHMAN. *conf.* 78. *num.* 66. At finis et intentio Magistratus hoc loco est, armorum gestationem e Republ. tollere. Proinde voluit eum, qui arma gestat, ad poenam trahi. Ergo si vel visus tantum et testibus convictus sit, poenam non effugiet. Confer. l. I. *ibi*: *Sed solent hodie Praetores vel Praesides, si talem hominem inuenerint D. de curat. furios.* et MENOCH. n. 59. Diuersa est ratio, si ad actum aliquem realis apprehensio ex intentione loquentis requiratur, quo fere collimant ea, quae Dd. *ad d. l. si Barsatoram* 13. *Cod. de fideiussor.* itemque EMAN. SVAREZ. *in thesaur. recept. sentent. verbo inuentus, num.* 181. congerunt.

XIX. Quia ergo, visum aliquem esse, sufficere diximus, ideo porro tenendum est, hoc maxime verum esse, si magistratus ipse aliquem viderit arma portare, vsque adeo, vt talem sine denunciatione puniri posse Dd. statuunt. GAND. *de indic. et praesumpt. indubit. num.* 9. *per l. si irruptione* 8. §. *vn. D. fm. regund.* Officialibus autem asserentibus, aliquem illicita arma gestasse, vt et haec, aliquem ad iussum ea dare noluisse, vel, se nuncianti opposuisse, et similia, non facile credendum esse monet DECIANVS *d. cap. 4. num.* 6. *et seqq.* quod huiusmodi homines viles sint et mendacissimi, qui vel vno nummo venderent vitam aliorum decem. Quod de nuncio iurato asserendum non erit, cui de rebus, quae ad officium et commissionem suam pertinent, testificanti creditur, donec contrarium ostendatur. Dd. allegati a WESENB. *in parat. de in ius voc. num.* 13. *pr.* ANT. FABER *lib. 4. C. sui tit.* 14. *definit.* 38. GAIL. I. *obs.* 54. De moribus tamen Galliae v. PETR. GREGOR. 48. *syntagm. 2. num.* 8.

XX. Haec de apprehendendo: De *apprehensio* hoc statuunt Dd. inuentum cum armis puniri posse absque aliquo ordinario processu: Quia in leuibus criminibus absque ordinario processu quis poni possit ad catenam. ANGELVS *in l. Aediles* 25. *D. de aedilit. Edict.* At hoc crimen leue esse, subinfert DECIAN. *d. cap. 4. n. 4.* Quod de iure ciuili intelligendum non est, vbi poena

na huic delicto praestituta aquae et ignis est interdictio, per supra tradita, cuiusmodi poena capitalis est, *l. rei capitalis 2. D. de poen.* Facit, quod ipse DECIAN. *ibid. num. 21.* subiicit, appellari posse a sententia declaratoria, quod quis inciderit in poenam portationis armorum; quae certe processus ordinarii partes sunt. Vide WESENB. *D. de re iud. num. 7. et 10.* Quanquam eidem facile fidem habeamus attestanti, se nunquam vidisse appellationem interponi, quin statim poenam imponi solere absque aliquo processu; vel procedi ad torturam, si sit humilis, vel ad poenam pecuniariam, quam nisi soluat, carceres non exeat.

Quaestio.

Quaerunt et hoc Dd. an, qui dare fideiussores vult, sit dimittendus? Distinguit DECIAN. *cap. 4. num. 14.* an poena sit corporalis, an pecuniaria: Hoc casu offerentem fideiussores dimittendum esse, adeo, ut si non acceptis his reus in carcerem ducatur, iniuriarum possit agere: Illo non item. Quo casu tamen subdistinguerim, utrum fideiussor detur de iudicio sistendo, an iudicatum soluendo, ut priori casu persona honesta vincula etiamnum effugere possit, fideiussoris de iudicio sistendo, datione *l. 1. 3. et 5. D. de custod. reor. v. Dn. BACHOV. 2. disp. Treutler. 28. th. 3. lit. A.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

DE EFFECTIBVS IVRIS ARMA GESTANDI, QVAEQVE EI CONTRARIENTVR.

Effectus iuris arma gestandi ex concessione tacita vel expressa competentis.

Quemadmodum ii, qui prohibita arma gestant, variis suspicionibus et poenis onerantur, uti superiori capite declaratum. Ita e diverso illi, qui arma iure permittente gestant, ab his et similibus oneribus iure eximuntur. (1) enim in his cessat suspicio

P

cio

cio doli mali, arg. l. hi, qui 11. §. fin. D. ad l. lul. de vi publ. per dista superiori capite, etiamsi in illicito loco gestent; nam praesumptio iuris nihiloscitius est pro iis, quod ea dolo malo non gestent, per disputata de sensu l. 10. ad l. lul. de vi publ. cap. XI. th. VIII. (2) Nec Magistratus familia perquirere potest arma sub eorum vestibus, qui notorie priuilegiati sunt, DECIAN. d. cap. 4. n. 11. quod in specie de Doctoribus tenet BART. in l. Medicos 6. C. de Professor. et Medic. lib. 10. DECIAN. d. lib. 8. cap. 3. n. 53. (3) Et, si ministri huius ordinis aliquem aggrediantur, ipsumque discernere velint, potest is de facto resistere, praesertim si id sine mandato speciali faciant, DECIAN. c. 3 n. ult. Quod si de mandato iudicis Officiales aliquem arma deponere iubeant, recte fecerit, si sequatur Officiales ad iudicem; consuadente DECIANO ex eo, quod notant omnes, in l. 1. D. de oper. nou. nunciat. vbi nunciatio, licet iniusta, spernenda non est, adde l. si quis 5. D. de iudic. Quod si (4) eo casu, vbi quis paratus est cum ministris ire, illi nihilominus virum honoratum discernere moliantur, potest itidem hoc casu resistere. BART. in l. prohibitum 5. illat. 2. C. de iur. fisci lib. 10. l. quoniam iudices 21. C. de appell. Et (5) Iudex, qui notorie priuilegiatum iubet discerni, iniuriarum conueniri posse videtur, arg. l. iniuriarum 13. §. 2. ibi: si quis, quod Praetoris praecepto non obtemperauit. Ergo si nihil contra ius fecit, et iniuste ita tractatus fuerit, poterit agere; et §. quae iure 6. D. de iniur. l. quod Reipub. 33. D. eodem ibi: quod secundum bonos mores fit. At hoc fit contra bonos mores. Ergo. v. WESENE. de iniur. n. 5. (6) Apparitor etiam, qui aliquem discernit, priuilegium suum allegantem, de vi conueniri poterit, per ea, quae habet ANT. FABER in C. suo ad l. lul. de vi publ. et priuat.

Contraria, in genere statuta prohibitoria. Quaestio.

II. Sunt tamen non pauca, quae facultati huic derogant. Vbi (1) illud in disquisitionem venit, an per statuta prohibitoria priuari hoc iure possint ii, quibus tacite vel expresse secundum praelibata, armorum gestandorum facultas concessa est? Quod non sine distinctione definiri potest. Principio namque alia est ratio subditorum, alia, non-subditorum. *Quantum ad istos.* Licet iuri civili etiam per Statuta derogari posse IASON, BARTOLVS et Dd. communiter in l. omnes populi 9. D. de iust. et iur. ALBER. de ROSAT. lib. 1. quae. 7. de statut. velint: Tamen id semper accipiendum est secundum modum concessae vel possessae iurisdictionis. DEC. ad l. imperium 3. n. 4. D. de iurisdic. et consequenter,

quenter, si superior aut vniuersalis et inueterata consuetudo (quae fortior et potentior est Statuto illudque silere facit. CRAVET. *de antiq. temp.* 1. part. in pr. num. 42. MENOCH. *de A. I. Q. cas.* 25. n. 49.) alicui hanc facultatem concesserit, ei speciali inferiorum statuto vix poterit derogari, praesertim cum priuilegia ob merita personis indulta ne quidem a superioribus, praeter Imperatorem, vide WESENB. *parat. D. de quaest. n.* 10. in fin. sine magna causa reuocari queant, vti probat QVETTA *conf.* 13. nec coarctari, velut incolae decet, qui vere incolae non sunt, quae sententia est *l. est verum.* 3. *C. de incol.* Vide iterum Dn. BACHOV. *vol.* 2. *disp. Treutler.* 18. *tb.* 2. *lit.* A.

III. Non subditos autem dicimus, non solum aduenas, quos Graeci *ἐπιτοίμους* vocant, cuiusmodi etiam sunt Studiosi, quamdiu in Academicis degunt. WESENB. *parat. D. ad municip. n.* 7. Sed et alios, qui domicilium nondum in eo loco fixerunt, quod iure Ciuili decenniis habitatione induci communiter statuunt *per l. nec si 2 C de incol.* SVAREZ. *commun. opin. lit. D. n.* 115. Quamquam GAIL. 2. *obs.* 35. n. 8. testetur, quod in Germaniae Ciuitatibus passim incolatus post annum acquiratur, neque permittat Magistratus aduenam diutius ibi commorari, si elapso anno iura ciuium redimere nolit. E contrario Venetias annos 14. incolere necessum est iis, qui iura ciuium plebeiorum adipisci volunt, teste BODINO 1. *de Rep.* 6.

IV. Subditi sunt vel Ciues, vel incolae, vel coloni. WESENB. *parat. D. ad Munic. n.* 2. De his, vtpote dignitatis incapacibus, quaestio non est. Quod si Ciuis vel incola quis factus sit, vel etiam in altera ciuitate ciuis, in altera incola sit, (quod fieri potest *per l. adsumtio 6. pr. et §. ult. l. eius qui 27. in fin. D. ad Munic.* quae iura *per c. 16. Aureae Bullae BVXTORF. ad eandem tb.* 99. sublata non recte arbitratur) censetur eo ipso priuilegiis suis hactenus renunciaffe, quatenus ea sine exceptione submisit iurisdictioni Ciuitatis. Siue enim Ciuis sit, siue incola, iurisdictionis Municipalis exercitium procedit, imo incola parere debet non modo Magistratui domicilii, verum etiam originis, *l. incola 29. D. ad munic.* vbi Colleg. Argent. *tb.* 9. Quod tamen de Consiliariis et Ministris Principum, qui in Ciuitate municipali ciues sunt, non intellectum velim. Ea enim est Statutorum ratio, vt superiorem, etiam cuius cum approbatione ea facta sunt, non stringant, *arg. l. inquisitio 18. vbi Gl. C. de solut.* IACOB SCHVLTES *pract. quaest.* 3. adeoque nec
 P 2 eius

116 Caput decimum quartum. De effect. iur. arma gest. etc.

eius Consiliarios, non solum, quia pars corporis principalis sunt, per supra dicta; sed potius quia leges vestiariae Ministros Principis in genere non attinent, *l. nemo 2. Cod. de vestib. holober.* aut, si subsistere potest sententia BESOLDI' *Polit. 12. ib. 71. §. 4.* quia priuilegiatus, quamuis incola sit, in personalibus, Statutis non obligatur.

In specie causae aliae complures.

V. (2) Perdunt hoc ius illi, quibus id ordinarie competit, amissione potestatis, dignitatis et functionis suae. Sic propter delictum aliquibus in locis Nobiles et Doctores cingulo priuari ex CLARO notat REINK. *lib. 3. class. 2. c. 2. n. 11.* (3) Vt et illi, quibus ordinarie id indulgetur, cessante causa extraordinaria, per regulam, sublata vel cessante causa, cessat effectus. TIRAQ. *in reg. cessante causa.* EVERHARD. *in loco à ratione leg. num. 6. et in loco à cessant. rat. n. 4.* (4) Cadit etiam quis iure isto per abusum licentiae, vt si quis arma licite ferens iis offendat, per regulam, qua priuilegium amittit is, qui tibi concessa abutitur potestate, *l. iudices 9 C. de iuric.* HIPPOLIT. de MARSIL. *in pract. crimin. §. pro complemento n. 9.* DECIAN. *d. cap. 3. num. 62.* Et si quae sunt alia, quae ex superioribus facile colligi possunt. ¶ Ego hic abrumpo filum praecipitatae, fateor, et animi potissimum causa susceptae commentationis: quam, publici exercitii gratia, proponere visum fuit, cogitanti, periculum ingenii operaeque vel in sterili fundo faciendum potius, quam ut aliena semper pabula secutus et calcatam multoties ab aliis viam insistens, nunquam ad propriarum virium progrededer experimentum.

F I N I S.

